
WIDENER
HN F38N 3

3 2044 009 606 385

CORPUS LEGUM

SIVE

BRACHYLOGUS IURIS CIVILIS

ET

INCERTI SCRIPTORIS

EPITOME IURIS CIVILIS

EX CODICE TUBINGENSI NUNC PRIMUM EDITA.

CORPUS LEGUM

SIVE

BRACHYLOGUS

IURIS CIVILIS

AD FIDEM QUATTUOR CODICUM SCRIPTORUM
ET PRINCIPUM EDITIONUM EMENDAVIT
COMMENTARIOS CRITICOS LOCORUM SIMILIUM
ANNOTATIONEM
NOTITIAM LITTERARIAM INDICESQUE ADIECIT

INEDITAM INCERTI SCRIPTORIS

EPITOMEN IURIS CIVILIS

MEDIO DUODECIMO SAECULO FACTAM
EX CODICE TUBINGENSI EDIDIT

EDUARDUS BÖCKING
IURIS UTRIUSQUE DOCTOR ET IN UNIVERSITATE FRIDER. GUIL.
RHENANA E. O. PROFESSOR PUBLICUS.

BEROLINI
IMPENSIS FERD. DÜMMLERI
A. cIↄIↄcccxxix.

VIRO INTEGERRIMO

F. C. DE SAVIGNY.

Solebant olim et nunc solent scriptores, libros suos aliis dicaturi, eos ipsos viros laudibus extollere. Tuas, optime vir, praedicari laudes equidem certe summopere amo; at profecto, meoque ipsius iudicio haud immerito, efferens mei aestimator dicerer, qui, quamvis in Tuorum meritorum elogia propensissimus, omissa tamen exiguitatis meae cogitatione, ipse aggrederer quod aliis relinquendum est, qui propius ad sublime ingenium ascendunt, quod in Te inesse quotquot sani iudicii sunt non negant. Sed ingrati animi essem arguendus si quam habeo opportunitatem pronuntiandi, quot quantisque beneficiis me Tibi devinctum ac plane Tuum habeas, praetermitterem: nae

Si ego item memorem quae med erga multa
fecisti bene,
Nox diem adimat.

Scio quidem ea Te esse animi bonitate

beneficentiaque, eoque alios in litteris adiuvandi studio, ut de omnibus, qui Tua consuetudine fruuntur, bene merendo nihil agas nisi quod Te innata Tibi comitas ingenua iubet: at vero quo magis suapte quisque indole ad bona pulchraque facinora facienda commovetur, tanto maiori pietate mihi videtur esse diligendus. Permittas itaque, ut splendido Tuo nomine frontem eius libelli exornem, cuius edendi Tu mihi et auctor et dux fuisti. quod si labor meus Tibi minus probabitur, respice ad grati animi, quo Tibi hoc opusculum offero, sinceritatem. Quanti enim faciendus sit liber, in quo emendando elaboravi, quid apud Te verba faciam? Didicimus tandem, veterem illam et valde insulsam de barbarie medii aevi cantilenam ita excipere, ut, si quis hodie eam recinat, ipse ferme barbarus dicendus videatur: adeo Tu no-

rum quasi campum, qui iuris prudentiae uberrimos fructus ferre possit, aperuisti; adeo Niebuhrius, quo viro haec aetas merito gloriatur, dum ingenii Tui luminibus occidentis terras perlustras, immortali in scriptoribus historiae Byzantinae edendis posito labore nostrae de orientis plagis notitiae lucem affundit. quid, quod scholastica philosophia laudatores nacta esse dicitur vel inter eos homines, qui hodie fere soli, nescio mollis desidiae amore an qua alia causa moti, carmina sua contra historiae studium occentant et, quod multo flagitiosius atque turpius esse existimo, omnem historiae faciem distorquent, ut quam prae se ferunt speciem aut spectrum veritatis in quandam huius similitudinem corrupta historia tueantur? silebo de iis, qui toti sunt in artium monimentis, quotquot illa aetas ad nos transmisit,

requirendis, reficiendis, laudandis. Iam vero quis summum locum obtineat inter eos, qui viam nobis monstraverunt ad loca, quae vasta desertaque esse olim mussitabant, immo clamitabant, equidem dici nihil referre existimo; quod si omnino quid referat, meum profecto non est dicere, utpote cui sufficit egregiis summorum virorum laboribus sine invidia atque livore uti, neque ullo partium studio habito bonas artes amare ac discere; quod quidem Tibi quoque gratissimum et iucundissimum esse scio.

Vale, vir optime, et perge mihi favere.

Scribebam Berolini a. d. XIII. kal. Iun. anni cIↃIↃcccXXIX.

PRAEFATIO EDITORIS.

Cum ante aliquot annos perlegerem quae Savinius de medii aevi scriptoribus iure consultis in suis de historia iuris Romani libris suavissime disputavit, apud animum meum constitui perutilis illius atque concinni libelli, cui per haec tria ferme saecula Brachylogo iuris civilis nomen imposuerunt, tum ex sola Senckenbergiana aliisque quibusdam minoris pretii editionibus mihi noti, novam, si non deficerent ad laborem adiumenta, adornare editionem. De consilio meo cum viro, quem modo laudavi et usque ad extremum vitae spiritum laudabo, colloquor; isque, quo est bonas artes verbis, consiliis et factis promovendi studio, statim non solum laudare propositum meum, sed etiam usum ditissimorum suorum pluteorum permittere, opemque ad comparanda quae aliunde forent petenda promittere, omnibus denique modis consilium meum firmare et adiuvare.

Itaque ad laborem me accinxi; quibus potiri potui editiones omnes — erant autem de-

cem — nempe habita differentia, si quae sibi invicem essent cognatae, diligenter inter se contuli atque cum Senckenbergiana editione commisi, adhibita quoque codicis manu scripti bibliothecae Regiomontanae collatione, quam mecum Savinius liberalissime communicaverat. In comparando editionis instrumento adiuvit me amicus meus Rudorffius, qui, cum ab initio laboris participem se futurum spopondisset, mox aliis laboribus impeditus Brachylogo se subduxit, certe non sine editionis meae damno. quam vero iunctis viribus curandam sumpseramus editionem, eam ego iam solus non destitui. Statim post captum edendi libri consilium Romam litteras dederam, ut aere meo mihi compararetur exemplum codicis Vaticani, quo Brachylogus ineunte tertio decimo saeculo scriptus continetur; at frustra. de Vaticano igitur codice iam desperans ineunte hoc anno de editione mea magis magisque sollicitus ab amico quodam Vratislaviensi petii, ut de codice manu exarato, qui primum Brachylogi librum cum secundi parte fere tertia continet, servaturque in bibliotheca universitatis litterariae Vratislaviensis, quid in usum novae editionis convertere possem mihi rescriberet, ipsumque, si sibi videretur opus esse, codicem mihi transmitteret. Responsum tuli accuratissimam huius codicis cum Senckenber-

giana editione a. v. cl. Carolo Wittio, professore Vratislaviensi, factam collationem iam per plures annos esse in manibus Lud. Pernicis, professoris Halensis, qui de Brachylogo edendo cogitaret. Quo nuntio accepto ad hunc virum doctissimum litteras conscribo petoque ab eo, ut, si fieri possit, mecum subsidia sua ad novam libri editionem adornandam communicet. audieram ex aliis de viri comitate, et ipse sane talem mihi se praebuit, ut humanissimo responso simul cum omnibus, quae habebat, subsidiis mihi transmisso me sibi maxime devinciret; ac profecto haud parva cum laetitia accepi iam desperati codicis Vaticani exemplum et libri Vratislaviensis accuratissimam collationem descriptionemque. Nihilo minus inter usum pulcherrimorum, quibus me iam instructum gaudebam, librorum, ut est criticorum sacra fames, aegre carere coepi collatione codicis Vindobonensis, in quo Brachylogum saeculo duodecimo aut certe decimo et tertio descriptum esse sciebam. Tum praeter omnem spem ex venerandi senis, qui est Kiloniae suae decus et ornamentum, A. G. Crameri litteris ad me datis didici, eum quondam, cum Vindobonae moraretur, codicem illum cum Senckenbergii editione contulisse. atque hic vir, qui iam alia in me contulerat beneficia, hoc illis novum comissime addidit,

ut expetitam collationem sine mora mihi transmitteret. Ita factum est, ut, quos exstare scimus manu scriptos Brachylogi codices, omnes ad editionem meam parandam adhibere potuerim. editiones autem, quae quidem ad rem criticam momentum habent, iam ab initio fere omnes congesseram; alias inter ipsum laborem mihi comparavi. itaque si criticarum rerum peritis iudicibus nova, quam exhibeo, editio non probabitur, omnis recte vituperatio in me cadet; at vero si laudabiles iudicabuntur mei conatus, non omittam cogitare, quid viris optimis, qui liberalissime operam meam adiuverunt, debeatur.

Haec fere praefanda visa sunt; nam de editione mea accuratiorem rationem reddidi in notitia litteraria, quam post aliorum de Brachylogo disputationes editorumque praefationes secundum temporis ordinem dispositas cum lectoribus communicavi. Vale, lector.

DOCTORUM VIRORUM

DE

BRACHYLOGO DISPUTATIONES

PRIORUM EDITORUM PRAEFATIONES

ATQUE

PRIVILEGIA BIBLIOPOLIS CONCESSA.

ADIECTA EST

NOTITIA LITTERARIA

DE BRACHYLOGO.

I. EX IOANNIS APELLI [a]
ISAGOGA PER DIALOGUM IN IV LIBROS INSTITUTIONUM [b].

SULPICIUS: ... Caeterum ut haec omnia melius et exactius intelligerem, adiuuit me libellus Institutionum, annis ab-

a) De Ioanne Apello, quem alii minus recte (?) Appellum scribunt, adeundi sunt *Will. Nürnb. Gel. Lex. vol. I. p.* 31. *vol. V. p.* 29. *Adelung. Fortsetz. des Iöcher. Gel. Lex. vol. I.* Optime vero, ut mihi quidem videtur, de eodem quidam vir doctus disputavit in ephemeridibus litterariis, quibus inscriptum est *Allgemeiner litterar. Anzeiger. Leipz.* 1798. 4. *vol. III. col.* 1220. *sqq.* . Iuvabit quaedam ex eo libro desumpta cum lectoribus communicavisse. Natus est Apellus Norimbergae anno 1486., fuitque inter primos, qui in numerum civium academicorum universitatis Vitebergensis recepti sunt. Lipsiae Petrum Mosellanum audiit. Tum factus est iuris doctor, canonicus Herbipolensis, nec non episcopo a consiliariis. Quod Lutherus, cuius amicitia Apellus fruebatur, postmodum fecit, idem Apellus iam prius fecerat, ut virginem sanctimonialem in matrimonium duceret; quae res ei permultorum incommodorum causa evasit; inde ex dioecesi Herbipolensi exterminatus est anno 1523.; anno sequenti Apellus in locum defuncti Schwerdfegeri iuris professor Vitebergensis factus est, iuvantibus Luthero et Georgio Spalatino. Exeunte anno 1530. a Borussiae duce cancellarius creatus Apellus Regimontium migravit, in qua urbe per aliquot annos eum habitasse constat; rediit autem in patriam anno 1534., ibique de iure consulentibus respondebat. diem supremum quinquagenarius obiit Norimbergae a. d. VI. kal. Mai. anni 1536.

b) Apelli dialogus primum prodiit ad calcem Ulr. Fabricii processus iudiciar. Basil. sine anno. [1542.] 8. Locus, quem

hinc quadringentis conscriptus, quibus Lotharius Saxo orbi Romano imperauit, ad eum modum, qui sequitur. **Primus** in ordine **liber** erat, qualis etiam hodie circumfertur: sic tamen vt titulus de iure Personarum primum sibi locum vindicaret: reliqui duo tituli, qui pracedunt, essent vniuersae tractationis praeludia. Deinde **secundus liber** vsque ad titulum de obligationibus protendebatur. Tum **tertius** ab eo loco vsque ad titulum de actionibus: ita vt principium tituli de donationibus titulum de Legatis, reliquum vero titulum de Mandato sequeretur, quemadmodum iam antea memini; praeterea titulus Quibus modis tollitur obligatio titulum de Actionibus praecederet, vltimoque loco libri tertii poneretur. Postremo titulus de Actionibus, cum his quae sequuntur, **liber quartus** erat, vt nimirum luce hac meridiana clarius cernas librum primum tractationem personae, secundum modos quibus dominium vel iure gentium, vel ciuili acquiritur, tertium contractus, delicta et quasi,

---

transscripsimus, ibi legitur pag. 168. Sedecimo saeculo saepius ille libellus repetitus est, tum seorsum (e. gr. Lugduni 1543. Coloniae 1564. 12.), tum una cum aliis libris, v. c. ad calcem Brachylogi, qui Lovanii 1551. 8. prodiit, pagg. 120. .. 181.; locus, quem dedimus, est pagg. 155. .. 157.; equidem exhibui eum ex Nic. Reusneri Χειραγωγία sive cynosura iuris, quae Spirae apud Bern. Albinum 1588. 8. prodiit, et Appelli (sic enim scripsit Reusnerus) dialogum pagg. 173. .. 215., nostrum autem locum pagg. 196. 197. continet.

De loco, quem transscripsimus, hodie nemini dubium erit, quin is ad Brachylogum spectet, quod iam Saxius recte vidit, quem tamen alia cum de Brachylogo, tum de Apello profecto pauca recte vidisse constat. Vix opus erit memorare olim Franciscum Balduinum (Comm. ad inst. proleg. gener. et lib. III. tit. I. proleg.) codicem, de quo Apellus dixerat, institutionum Iustinianearum codicem scriptum esse putavisse, multosque alios hunc Balduini errorem pro vero exceptum novisque erroribus exornatum repetiisse; quos recentiores errores detegens Kochius (progr. de Cod. Ms. institt. ad mare Balticum reperto. Giessae 1772. 4.) ipse non vidit Apellum non de institutionibus, sed de Brachylogo locutum esse. *Cf. von Savigny Gesch. des R. R. vol. II. p.* 244. *sq. not.* 117. *et* 118.

ex quibus oritur obligatio, quartum officia et effectus, tum dominii, tum obligationis complecti. ALBERICUS: Quis fecit tibi, o Sulpiti, eius libelli copiam? SULP. Nuper inueni eum apud mare Balticum et sinum Codanum in bibliotheca quadam haud ita magna a tineis corrosum, et pulueribus bene obsitum. ALB. Hui in hoc orbis angulo apud Cimmerios tam splendidum libellum, qui possit talibus tenebris tam claram lucem reddere! SULP. Etiam, Alberice, et puto eum a docto aliquo, qui cum Primislao aut Othocaro V., Bohemorum rege (nisi me coniecturae fallunt) proficisceretur, illuc perlatum fuisse: quum inibi temporibus Rodolphi Romanorum Regis, qui ex Habsburgica familia primus superiori Pannoniae praefuit, Vlinrigiam, in eo loco, quem Plinius Austrauiam, gens ipsa Sudanen appellat, aedificaret: quae hodie illustris principis Alberti Marchionis Brandeburgensis et Borussorum domini beneficio Serenissimi Sigismundi Polonorum Regis auunculi principalis sedes est: atque a fundatore Mons Regius appellatur. ALB. Verisimilia loqueris, Sulpiti: nihilque dubito idem affirmaturos hos Institutionum architectos Tribonianum, Theophilum et Dorotheum, si a mortuis hodie resurgant....

II. EX EDITIONE SENNOTONIANA LUGDUN. 1548.[a]

Extraict du priuilege du Roy.

Il à pleu au Roy nostre sire de donner priuilege, et permission à Iaque, Iean, et Claude Senneton freres, citoyens de la ville de Lyon, d'imprimer, ou faire imprimer tous les Cours des droictz Ciuil, et Canon, auec plusieurs corrections, annotations, additions, emendations, et varieté de lecture, selon les vrays, et anciens exemplaires. sur lesquelz il les ont faict conferer par gens doctes, expers et scauans, esdictz droictz, et iceulx enrichi de plusieurs figures, accommodées, et appropriées à tous les com-

a) Cf. notit. litterar. Ind. edd. N. 1.

mencemens des liures du Droict, selon l'intelligence des tiltres, et loix. Ce que par cy deuant n'a esté faict. Pareillement ont adiousté Corpus Legum, qui anciennement a esté extraict du propre texte des Loix, et Pandectes, qui ne fut oncques imprimé. lesquelz ilz ont recouuré, faict veoir, conferer, corriger, emender, additionner, et annoter, auecques grands labeurs et despens. Parquoy sont faictes defenses de par ledict Seigneur à tous Libraires, Imprimeurs, et autres: qu'ilz n'ayent à imprimer, ne faire imprimer, vendre, ne distribuer en quelque façon et maniere que ce soit dens son Royaume, terres, et segneuries, lesdictz Cours Ciuil, et Canon, auec lesdictes corrections, annotations, emendations, additions, varieté de lectures, figures, Corpus legum susdict, sans le consentement desdictz Sennetons Et ce iusque au temps et terme de dix ans prochainement venans, à compter du iour, et date que la premiere impression desdictz liures, et chascun d'iceulx sera parfaicte d'imprimer, et ce sur certaines et grandes peines. Comme plus à plain est contenu esdictes lettres sur ce expediées à Lyon, le douziesme iour de Septembre, Mil cinq cens quarantehuict. Et de nostre regne le deuxieme.

Signé par le Roy, (Iean Iaque Maistre des Requestes present) Coeffier, et seellées de cire iaune à simple queue.

PRAEFATIO[b].

OMNIA FATIS IN PEIVS RVERE, ET RETRO SVBLAPSA REFERRI, Vetus est querimonia.

Quae de corruptis Mortalium moribus, et rerum degeneri genere, verissimè forsan dici queat: non item verò de artibus. quas certè temporis progressus adauget, experientia RERVM MAGISTRA in dies emendat, continua exerci-

b) Hanc praefationem repetierunt editiones Hugonis a Porta 1558. et Prateianae 1562. 1567.; de posterioribus Hugonis a Porta et Prateii editionibus nescio an eandem praefationem habeant;

tatio perpolit, et quotidie meliores facit[d]. Antiquitas enim est instar Gigantis[e], cuius ceruicibus, ceu puer, insistat posteritas. quae quanto altius à maiore[f] est sublata, tanto longius res prospicit, ac certius videt. Vnde fit vt prima autoribus[g] laus debeatur, postrema postremis auctoribus gratia habeatur. Qui scilicet in pulcherrimo rerum in melius proferendarum certamine, non solùm maiores, et suos sibi aequales. sed se etiam ipsi superare contendunt. ΑΓΑΘΗ Δ'ΕΡΙΣ ΗΔΕ ΒΡΟΤΟΙΣΙΝ.

PORRO haec contentio, cùm in caeteris artibus, tum verò maximè in Typographica, et Bibliopoeia, vsquedum ardentissimè flagrat, ob scientiarum, et literarum studia bonarum quotidie crescentia. Cui nos arti, ac opificio, operas, et opes omnes nostras (quantascúnque et Natura, et Fortuna nobis est largita) cùm impendere studemus: optimam partem: eandemque[h] vtilissimam, ac adeò conseruandae hominum societati in primis necessariam, nimirum Iuris prudentiam RERVM REGINAM humanarum, diffusa per plaerasque gentes, ac populos immensa librorum copia (ídque Regalibus Principis Galliarum auspiciis) toti orbi statuimus publicare, próut primos Nomothetas, prudentes Iurisconsultos, et Caesares iustissimos Imperatores voluisse credi par est. Hoc itáque consilio, Nos integram, et vniuersam Iuris Ciuilis Diexodon vnà cum suis glossis, (quae secretioris linguae, autore Fabio, sunt interpretationes,) in publicum emittendam suscepimus, et iam emittere incepimus. Vt alijs fortassè posterius tempore, ita non sinisterius opere. Quod néque arroganter, néque inuidiosè dictum existimari velimus. Nullo etenim alio affectu hoc

---

sed facile crediderim. Iuntinae editiones eam omittunt. Quae Sennetoniana editio litteris maioribus expressit, ea in repetitionibus sine litterarum diversitate expressa sunt, praeter Graecum illud ἀγαθη δ'ἐρις rel.

d) meliorefacit *po. pr.* 1562.

e) Cigantis *po.*

f) mas|iore. *po.*

g) authoribus *et sic inferius* authore *po. pr. utraque.*

h) eadémque *po.*

opus nos adortos esse testamur: quàm vt rem familiarem (quod neque dissimulandum, neque pudendum ducimus) honestis rationibus mediocriter augentes Remp.[i] quoque honestissimis laboribus adiuuemus. et patriam, ac ciuitatem nostram LVGDVN. clarissimae artis honore illustremus, et ornemus.

ERGO ad tanti operis consummationem, ab ipsis elementis inchoandum esse rati, D. IVSTINIANI Imperatorias Institutiones, quasi cumulatioris fructus futuri primitias, nunc proferimus, Vnà cum libro nunquam antehac excuso, epitomen iuris complectente, et compendiariae institutionum formae, ac materiae non absimili, vt indicat etiam operis ipsa inscriptio haec, CORPVS LEGVM, PER MODVM INSTITVTIONVM. Item INSTITVTA. T. CAII clarissimi Iurisconsulti, ad Institutionum, totiúsque iuris ciuilis disciplinam non parum conferentia. Iam olim quidem edita[k]: sed cùm penè iam obsoleta interciderent noua denuo editione clariori luci reddita. Et haec sanè omnia accurata doctorum virorum diligentia emendata, καὶ γνήσιῳ suae integrati[l] restituta, quantùm fieri licuit, conquisitis vndique per plerasque Galliae, ac Italiae bibliothecas vetustissimis exemplaribus, tandémque repertis, et inuicem collatis. adhibita etiam diuersarum (quae probatae viderentur) lectionum adscriptione, tam in litera, quàm in glossematis, praesertim in Pandectis, parte iuris longè praestantissima. Iudicio tamen suo lectoribus relicto. Ad haec vnumquenque totius corporis librum, et libri prototitlon decorari voluimus eleganti imagine picta, quae rei scriptae hypothesin, quasi viuam, ob oculos repraesentet. voluptatémque cum vtilitate adferat, et capiendam praebeat. Nam

SEGNIVS IRRITANT ANIMOS DEMISSA PER AVREM,
QVAM QVAE SVNT OCVLIS SVBIECTA FIDELIBVS, ET QVAE
IPSE SIBI TRADIT SPECTATOR.

Sed munus nostrum re ipsa probari, quàm verbis ornari sa-

---

i) Rempub. *pr. utraque.*
k) aedita *et mox* aeditione *po. pr. utraque.*
l) γνήσιῳ *omnes.* integritati *recte po. pr. utraque.*

tius esse ducimus. Ergo, Qui volet legat[m], et iudicet, atque ex hoc primo Institutionum opere, totum iuris cursum eadem forma breui proditurum idqúe elegantioribus characteribus (VT AB VNGVIBVS LEONEM) aestimet.

BIBLIOPOLA
Beneuolo Lectori S.[n]

STVDIOSORVM COMMODITATI non segniter prospicere ingenui cùm sit animi, eiusq; de quàmplurimis bene mereri qui cupiat: hinc à nobis nuperrimè factum est, ut excellentissimo huic Institutionum operi, quod nunc est accuratè recognitum, praeter accentus ac diphthongos, multiplices etiam, nec eae poenitendae, lectionum uarietates è regione textus, praefixis, quae immutandis locis respondeant, hunc in modum * astris, aliisúe signis margini decenter accesserint: ut his perspicuum sit, in quorum manus haec excultissima Ciuilis disciplinae cunabula peruentura sunt, cum uetustissimis codicibus singula, quae lucis egere uidebantur, non oscitanter nos contulisse: ut sicubi uel anceps, uel parum syncera foret lectio, ex diligenti fidelíq; collatione quae prius obscura, nunc illustrata, quae quondam corrupta, nunc integritati suae, adhibita non mediocri uigilantia, restituta fuisse. Ad haec Iurisprudentiae studio gnauiter addictos ut nobis gratos, oblato eisdem recèns adiecto munusculo, redderemus: adiiciendum curauimus opusculum, quod non inconcinnè CORPVS LEGVM IN COMPENDIVM PER MODVM INSTITVTIONVM redactum, inscriptum est, perquàm multa paucis haud dubiè complectens. Cumq; exemplar ipsum, quòd diutissimè delituerat, cariosum esset, tamen propter non contemnendam antiquitatis maiestatem allicere lectorem non supinum poterat, ut in eo perlegendo non leuioris operae quippiam collocaret. Hoc igitur tibi, quòd in publicum nunc primùm exeat, utile nedum iucundum fore speramus. CAII QVOQVE INSTITVTIONES praescriptis accedere nobis curae fuit, ut candido lectori notum sit hoc opus

m) legat *om. pr. utraque.*
n) Haec in ultima Sennetoniani libri pagina leguntur.

nunc nostra diligentia locupletius nec non castigatius esse redditum.

E' calcographia nostra Lugdun. Prid. Calend. Octob. Anno publicae salutis M. D. XLVIII.

III. EX EDITIONE LOVANIENSI 1551.[a]

Tenor Priuilegij

CAESAREI.

CAROLUS Quintus diuina prouidentia, Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Castellae, etc. Rex. Exhibita fuit nobis supplicatio à Martino Rotario Bibliopola Louaniensi iurato, qua indicabat se imprimi cupere Iuris Ciuilis compendium, et à D. Ruardo Tappar, Sacrae Theologiae professore, almae Vniuersitatis Louaniensis Cancellario, et Decano S. Petri visitatum, et approbatum. His rebus moti, illius supplicationi consensimus, annuimus, et tribuimus his nostris literis, vt eiusdem Iuris Ciuilis compendium excudi curet, excusumque vendat, et distribuat per omnes nostras ditiones. Prohibentes vniuersis Typographis, Bibliopolis aliisq; vniuersis, ne praedictum Iuris Ciuilis compendium in nostra ditione excudant, aut alibi excusum vendant aut distribuant intra tempus trium annorum proximè sequentium, sub poena in literis nostris dicta. Mandamus igitur omnibus Officiatis, et administris iustitiae per Brabantiam, vt illum in suo priuilegio adiuuent, et tueantur, vt latius patet in literis illi à nobis concessis. Datum Bruxel. Anno M.D.LI. 7. Septembris.

Subsignatum

Per Caesarem ad relationem Consiliariorum.

L. de Zoete.

---

a) Cf. infra ind. edd. No. II.

TYPOGRAPHVS
LECTORI. S.

QVantam semper impendamus operam omnibus bonis studiis iuuandis, satis testantur quae hactenus ex officina nostra in manus omnium venerunt: Verum cùm ad iurisprudentiae libros animum adiicere etiam constituissemus, quo ordine de omnibus omnino bene mereremur: animo tamen fluctuaremus, vnde auspicandum esset: commodum ex Gallia in manus nostras incidit, quod nunc damus, totius Iuris ciuilis Compendium, seu potius prima elementa: Qua occasione data, etsi supra modum gauderemus: alacritatem tamen nostram, retuderunt plurima in eo opusculo loca deprauata ac corrupta, adeò vt interdum ne sententiam quidem aut intellectum vllum elicere conficereque integrum fuerit. Vicit tamen hanc difficultatem, tum omnium studiosorum amor, tum huiusce opusculi non solum vtilitas, verùm etiam dictionis orationisque puritas et elegantia: vt coniectura sit non Neoterici, sed vetusti alicuius autoris, qui non ita diu post Iustiniani tempora vixerit, esse partum. Vt interim de ratione et ordine, quem in scribendo hoc Compendio vsus est, taceamus, cùm neque iuris abrogati, aut mutati recitatione chartas compleat, ac Lectorem distrahat. Neque quicquam eorum, quae ad prima elementa Iuris pertinent, praetermiserit, recteque et ordine non posuerit. Quae quidem videmus à plerisque in Iustiniano, seu potius Triboniano desyderari. Etsi enim ordo, quem in suis elementis seu institutionibus secuti sunt illi, extra omnem calumniam sit: verbosam tamen Iuris emendati, abrogati, eiusque, quod in vsu esse desierat: apud rudiores adolescentes recitationem, paucis admodum placere videmus. Neminemq; praeterea ferè esse, qui non desideret prima elementa exercendarum litium, hoc est, iudiciorum, quaeque ad ea pertinent: veluti de iurisdictione, de iudicibus, de lite contestanda, de probationibus, de sententiis, de appellationibus, de executionibus, aliisque similibus. Quorum omnium, vix vlla in institutionibus Iustinia. fit mentio. Quando itaq; tam multa praedictam difficultatem vincere apud me iure debebant, nolui admittere, vt tanto

huiusce libelli fructu, studiosi diutius fraudarentur. Quare loca illa deprauata restitui à viris in Iurisprudentia aliisque disciplinis exercitatissimis, ac in enchiridij formam redigi excudique curauimus, omnium vtilitati studentes: vt iam integrum sit, et paruo hunc libellum redimere, et quoquò velis circumferre. Porrò cùm aeditioni huius Compendii penè suprema manus esset imposita, vidissentque et nostri Iuris candidati, in tantam non id excreuisse molem, quin ei commodè posset adiungi, eiusdem tantùm non est nominis et rei desideratissimus libellus, omnibus ingenij neruis à nobis contenderunt, ut hunc illi subiungeremus, qua quidem in re illis non grauatim morem gessimus. Hac igitur occasione, conuenienter huic subnexa est haec Isagoge, per dialogum in quatuor libros Institutionum diui Iustiniani Imperatoris, autore D. Ioanne Appello vtriusque Iuris Doctore: in qua vir ille, cùm natura et doctrina, tum docendi dexteritate meritò suspiciendus, non modò magno cum fructu atque eleganter disserit, de optima ratione discendi docendique Iuris, verùm etiam praecipua eius capita seu membra singulari quodam iudicio constituit: quae appositis deinde definitionibus, diuisionibus, et exemplis illustrat: ac velut in tabula spectanda omnibus proponit.

Breuiter habes in hisce libellis, candide Lector, modum optimum studendi Iuri, introductionem ad veram iurisprudentiam, et denique totius corporis, seu vt melius dicam, totius medullae Iuris obseruandi compendiariam traditionem, ex omnibus Digestorum, Codicis, ac Nouellarum constitutionum libris accuratè concinnatam, et Annotationibus breuibus quidem, sed lectissimis illustratam, et quàm potuit fieri emendatissimè, in lucem aeditam. Quapropter, si tibi haec tam esse grata, quàm hactenus fuerunt expectata, senserimus, et coeptis nostris Deus aspirauerit, dabimus non ita multò post maiora quaedam opera, quae plerosque omneis iuris iustitiaeque studiosos diu multumque desiderasse probè cognouimus. Bene vale Lector candidissime, et laboribus his è re tua susceptis, foeliciter vtere. Louanij sexto Idus Octobris, ANN.

M. D. LI.

IV. EX EDITIONIBUS PESNOTIANIS 1553. et 1559.[a]

Extrait du Priuilege.

Il est defendv à tous Imprimeurs, et Libraires, de non imprimer, ou faire imprimer, ny exposer en vente ce present liure intitulé, *Corpus Legum, cui adiunctae sunt Caii Institutiones, et viginti nouem Tituli ex Corpore Vlpiani*[b]. Et ce iusque au temps et terme de dix ans prochainement venans, à conter du iour et date que la premiere impression dudict liure sera paracheuée d'imprimer, si non par le congé et permission de Loys Pesnot libraire de Lyon, sur les peines contenues es lettres sur ce depeschées, à Lyon, le douzieme iour de Septembre[c], Mil cinq cens quarante huict: et de nostre regne le deuzieme. Signé par le Roy, Iean Iaques, Maistre des requestes present. Cocfier, Et seellées de cire iaune à simple[d] queüe.

AMPLISSIMO VIRO CLAVDIO[e] GVSTANO

Apud Senonas[f] Gallos Praetori Vrbano, Ludouicus Pesnotius Salutem.

Nobilivm inter veteres scriptorum monumenta, ex conclusis educta inaccessarum Bibliothecarum latebris, et multa, et eximia nobis pridem dedisti (vir clarissime,) ea scilicet[g] expectatione, eoque vetustatis conseruandae, et

a) Secutus sum editionem 1553., a qua posterior Pesnotiana dumtaxat in interpunctione aliisque minimi momenti rebus, quas tantum non omnes indicavi, hic illic recedit. Cf. infra ind. editt. N. III.et VI.

b) Vlpian. *pe.* 1559.

c) Sepetembre *pe.* 1557. *cf. ind. edd. N. VI.*

d) simele *pe.* 1553.

e) Cladio *pe* 1559.

f) Seuonas *pe.* 1553.

g) sc. *pe.* 1559.

publicae vtilitatis iuuandae studio, vt quamprimum nostris excusa[h] typis editionis nouae[i] rediuiua velut metastasi in lucem reuocarentur. Quod cùm neque statim, neque longo post tempore factum fuerit: non dubium est quin id iure succénsere debeas, istamque nostram longam cessationem vertere in obliuionis, aut ignauiae accusationem: sic vt mecum expostulare videaris, et antiquitatem suo honore, et posteritatem suo fructu esse à nobis hactenus fraudatam. Quae omnia tametsi conscientia veri, me admodum reddant sollicitum (vt qui in his planè fefellisse non diffiteor) longè tamen magis vereor, ne istud indignius feras, quod post tam diutinam dilationem, dum ad illa edenda[k] nunc demum accingor, pro partu montis promisso et sperato exiguum murem in medium educam ceranicum, et in arenam pro Leone capum[l], hoc est pro numerosa insignium voluminum mole tuo beneficio habita vnicum tantum libellum, et omnium quos abs te accepi, minimum[m] in publicum proferam. Verùm hoc te cogitare par est, qui[n] rerum naturam non ignoras. Ex paruis interdum initijs magna succedere incrementa, vt contra ex magnis, absolutisq; principijs, collabentem inclinationem sequi necesse, atq; in his ruendi metum, in illis exurgendi spem insistere. Proinde consultius esse ratus ad Homeri exemplum Flacciq; monitum, Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem: à minimis sum auspicatus: vt speciosa dein miracula promam. Finge igitur (quod in nobilium virorum equestribus expeditionibus fieri solet) magnificentioris equitatus puerum pedestrem prodromon hunc esse libellum, quem ne qui non legerunt negligant: et qui non norunt contemnant: ij sciant chartarum quidem numero, et verborum breuitate paruum esse: at sententiarum pondere, et rerum sublimitate magnum: Et quem idcirco non sum veritus dicare tibi: qui rerum precium non ex quantitatis mensura, sed ex qualitatis natura aestimandum censes. Est etenim eius digni-

---

h) excussa *pe.* 1559.

i) aeditiōis nouae *pe.* 1559.

k) aedenda *pe.* 1559.

l) ceranicum *et paullo post* capum *habent omnes.*

m) *Hic finit pag. edit.* 1559.

n) *Hic finit pagina editionis* 1553.

o) et *pe.* 1559.

p) legerunt,negligant et *pe.* 1559.

tatis libellus, vt vndecunque tibi in manus venerit: aut ex quacunque veteri bibliotheca exierit: certe ex prudentissimorum hominum cerebris (vt ex Iouis capite fertur Minerua) primum exortus esse appareat. Indignus profecto qui viuus defossus tam diu lateret in tenebris non citra publicum studiosorum incommodum. Quod et idem de reliquis amplioribus (quae tibi accepta debentur) voluminibus dici possit. Ea autem (vt speramus, et meditamur) breui in manus hominum per nos venient, et velut è sepulchris eruta, in claram, communemque lucem excitabuntur: eo anabioseos splendore, tali characteristicae formae nitore, et sic composito ordine, vt et te, et amicos tuos, et omnes denique homines literarum et Iuris amantes tali illectamento inuitare videamur, ad alia deinceps exemplaria veterum autorum[q] recens reperta nobis, vt reformentur exhibenda. Tu interim hoc *προδώριον* libens accipe et Vale.

V. EX EDITIONE HUGONIS A PORTA 1553.[a]

Extrait du Priuilege du Roy.

Il est permis à Hugues de la Porte marchant libraire Citoyen de Lyon par otroy et special priuilege du Roy, d'imprimer ou faire imprimer, et exposer en vente, le Cours de Droit Ciuil: corrigé, veu, et collationé sur l'Exemplaire et Archetype de Florence, enrichy et doué de plusieurs Annotations, qui ne permettent le Lecteur hesiter et muser en beaucoup de passages: auec les Inscriptions de Chapitres ou Loix, qui par cy deuant n'auroyent esté mises en lumiere: et semblablement auec vn Repertoire fort ample, et general sur tout le Droit Ciuil, lequel n'a encores esté imprimé. Et par ledict priuilege, defenses et inhibitions sont faictes par ledict Seigneur à tous autres de n'impri-

---

q) authorum *pe.* 1559.
a) Cf. index editt. N. IV.

mer, ou faire imprimer, ne exposer en vente, ou distribuer dedans son Royaume, terres et Seigneuries ledict Cours de Droit Ciuil, auec lesdictes Corrections, Annotations, et Inscriptions, de nouueau adioutèes: ensemble ledict Repertoire, en quelque volume que ce soit, sans le consentement dudict de la Porte, iusques au temps et terme de dix ans: à compter du iour et date de la premiere impression faite dudict Cours Ciuil, auec lesdictes Corrections, Annotations, et Inscriptions: et ce sur certaines peines amplement contenues au dict Priuilege. Donné à sainct Denis en France l'vnziesme iour de Iuin, l'an mil cinq cens quarante et neuf, et de son regne le troysiesme. Signé,

Par le Roy en son Conseil.

LALEMANT.

Seellées de Cire Iaune à simple queüe.

VI. EX EDITIONE BONIATI 1570.[a]

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRIS|simo Principi ac Domino, Domino Danieli, Deigratia. Archiepiscopo Moguntino, sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellario et Pr. Electori, Domino suo clementissimo.

Ioannes Boniatus Iurisconsultus et Secretarius Caesareus. S.

Cvm annis ab hinc plus minus decem, Reuerendissime et Illustrissime Princeps, in Biturigum Academia, tota penè Gallia, ob frequentissimum Iuris utriusq; studium, celebratissima, Iurisprudentiae operam darem, ad manus meas casu hoc Enchiridium Iuris sanè eruditè scriptum peruenit. Quod in commune Reip. literariae commodum typis excudendum tradere uolens, et meae erga Cels. V. ℞. obseruantiae specimen inprimis edere cupiens, non omnino abs re fore

---

a) Cf. infra ind. editt. N. IX.

censui, si hoc tempore, cum aliquid ocij nactus essem, eidem Cel. V. ℞. quae studia doctrinarum arctissimè amplectitur, optimarum artium et Iurisperitis libentissimè fauet, ac sapientia omniq; uirtutum genere maximè excellit, adeo, ut Dijs hominibusq; approbantibus in hoc summo et amplissimo Dignitatis gradu constituta, claram illustremq; Nobilitatem suam à maioribus acceptam, praeclaris animi et ingenij dotibus ac summa uitae integritate morumq; sanctitate, plurimum exornasse uideatur, omnesq; boni, ipsam tanquam clarissimum et splendidissimum Germaniae lumen mirum in modum colant et admirentur, summa animi summissione et promptitudine dedicarem. Accipiet igitur ℞. Cels. V. ac boni consulet, tenue quidem atq; exiguum munus, non quod dignitati isti suae amplissimae conueniens esse existimem: sed ut uniuersis studiosis Legum commendatius reddatur, ac Reuerendissimae V. Cels. magnitudine hisce laboribus authoritatem et ab inuidis tutelam parem: tum etiam, ut certissimum ac euidentissimum mei erga eandem studij et singularis cuiusdam obseruantiae generis testimonium perpetuò existat. Quam rerum omnium praepotens Deus diutissimè incolumem conseruet.

Spirae. Anno M. D. LXX. Cal. Augusti.

TYPOGRAPHVS AD CAN|didum Lectorem.[a]

Cvm Ioannes Boniatus Iuriscons. cuius opera et studio Enchiridium hoc iam primum in lucem prodijt, in aula Imperiali ad praesens Spirae existente plurimis sacrae Caesareae Maiest. negotijs occupatus et impeditus huic editioni personaliter adesse non potuerit, et haud dubiè errata quaedam propter eius absentiam in hoc ipso opere imprimendo commissa uideantur; Ideo aequus et doctus lector pro sua prudentia facilè illa animaduertet, eaq; sibi benignè corriget, et tenuitati nostrae, propter uetustatem exemplaris, et confusas abbreuiaturas ignoscet. Cui omnem foelicitatem ex animo precamur.

---

a) Haec ad calcem libri posita sunt.

VII. EX EDITIONE REUSNERIANA[a].

AD ILLVSTREM ET GENEROSVM DOMINVM, D. IOANNEM REINHARDVM PHIL. F. PHIL. N. COMITEM HANOVIVM, DOMINVM LIECHTENBERGIVM ET OCHSENSTENIVM, ETC.

NICOLAI REVSNERI V. I. D. PRAEFATIO.

PERMVLTVM refert, IOANNE REINHARDE, Comes Generosissime, in omni genere artium et disciplinarum, summa quaedam capita habere, certa uia et ratione in compendium contracta: quae et breuia sint, et aperta, cognituque facilia, et omnino eiusmodi, ut sint quasi indicia fontium illorum, ex quibus deriuata sunt: ad quos his ducibus eo expeditius perueniatur: quo melius, et multo maiora alia deinde cognoscere liceat. Nam et intelligentiam facilitate, et memoriam breuitate iuuant plurimum, et acuunt praeterea industriam discentium: quo alacrius suo tempore fontes ipsos legere, et ex his solidam doctrinam haurire uelint: quem in finem ea comparata esse omnino oportet. Alioquin si a fontibus ipsis studiosos abducant potius, quam ad eos deducant: non tam compendia, quam dispendia dici merebuntur: quae magis impedimento, quam adminiculo esse solent discentibus. Quam docendi rationem secutus etiam Imperator Diuus IVSTINIANVS, in iure ciuili tradendo, primo leui ac simplici uia, ac deinde exactissima diligentissimaque ratione singula proponenda esse monet: ne uel multitudine, uel difficultate praeceptorum, rudis adhuc et infirmus studiosi animus absterritus, aut desperatione quadam debilitatus, experiri postea id nolit, quod se assequi posse diffidat: quum promptum sit alias, ut PLAVTI uerbis utar, quantumuis bene confidentem, actutum diffidentem reddere, ἡ γὰρ ἀπόγνωσις ἀπαγάγει τῆς ἄγαν ἐπιθυμίας, ut LVCIANVS loquitur. Sed iuris quidem ciuilis

---

a) Haec ex editione Senckenbergii, pagg. XXX ... XXXII. repetita sunt.

nulla leuior simpliciorque uia tradita est; quam in aureolo illo libello Institutionum, siue Elementorum eiusdem IVSTINIANI, sacratissimi principis: quae sunt prima legum fundamenta, et ueluti incunabula (est nam sua et studiis infantia quaedam, teste FABIO) adeoque clauis quaedam totius legitimae scientiae: qua fores quodammodo aperiuntur penetralia iuris intrare cupientibus: et ad portandam tantae sapientiae molem apti redduntur atque idonei. Quarum profecto cognitio, et frequens lectio tyronibus iuris perutilis ac pernecessaria est: quando quidem in omni studiorum genere Institutiones primum sibi locum uindicant. Enimuero quanquam ipse Imperator libros hos quatuor Institutionum, ex omni pene ueterum Institutionum corpore elimatos, et ab omnibus turbidis fontibus in unum liquidum stagnum a se corriuatos esse ostendit: tamen quoniam in his extant non pauca, uel ab antiquis fabulis potius quam legibus repetita: uel saltem iure nouo IVSTINIANEO postea correcta: quae quia in usu non sunt, neque re ipsa obtinent; non solum exiguo cum fructu, sed et magno cum dispendio temporis a properantibus studiosis leguntur: nonnulla etiam uel plane omissa, uel ita leuiter ac simpliciter in his exposita sunt: ut plurimum in se et obscuritatis, et difficultatis habeant. Equidem non possum non probare et laudare uehementer fidelem operam anonymi cuiusdam scriptoris in hoc genere nauatam: qui enucleatum hoc ius Institutionum breui libello complexus est: omissis scilicet iis, quae sunt iuris ueteris, et obsoleti: et in eorum locum repositis his, quae Nouellis eiusdem Imperatoris constitutionibus correcta sunt, aut emendata: additis praeterea quibusdam aliis iuris ciuilis necessariis capitibus: praesertim iis, quae prima litium exercendarum, adeoque iudiciorum ipsorum elementa continent. Quae quidem capita omnia ex fontibus ipsis, hoc est, ex uniuerso Corpore Iuris ciuilis, magna cura fideque conquisita, et in unum locum sunt conducta: a quibus etiam quam proxime absunt, non praeceptis tantum et sententiis, uerum etiam uerbis: omni denique docendi uia ac ratione. *Placuit autem auctori, quisquis ille fuit, Opusculum hoc* Βραχύλογον *totius iuris ciuilis, siue* CORPVS LEGVM *inscribere:*

repertum ante aliquot annos, et ex uetustissima Bibliotheca depromptum: editumque Louanii primum, deinde Lugduni: sed praue admodum, perperamque editum: culpa exemplaris fortasse manuscripti: sed et culpa aliqua ipsius librarii, qui fontes accuratius inspicere neglexerit: unde tot loca in eo tam foede interpolata reperiuntur. Caeterum quum libellum hunc, ex commendatione mea, cupidae legum iuuentuti utilem et gratum fore animaduerteret uir optimus LAZARVS ZEZNERVS, Bibliopola Argentinensis: etiam atque etiam a me contendit: ut a mendis eum repurgatum, ac notis praeterea quibusdam, quatenus facere possem, illustratum sibi denuo diuulgandum permitterem. Quanquam uero publica iuris professione aliisque scriptionibus et negotiis occupato mihi magnopere uerendum esset, ut huic rei in hoc quidem tempore sufficere possem: minime tamen in hac parte et honestae ipsius postulationi, et publicae utilitati deesse uolui. Itaque totum hunc libellum a capite ad calcem semel atque iterum relectum, atque recognitum; non solum ex libris iuris ciuilis fideliter ac diligenter restitui, et ab innumeris erroribus uindicaui: sed et capita melius, ut mihi quidem uidetur, recensui, et paragraphos distinxi, et quae in his insunt omnia ad fontes suos, et at loca, ex quibus descripta sunt, reuocaui: summas praeterea, et argumenta singulis legum capitibus apposui: ac praeterea notas adiunxi breues, maximeque illustres: quae commentarii loco esse possunt. Hanc opellam qualiscunque laboris mei IOANNE REINHARDE Comes inclyte, tuo nomini ultro ac libens dico, et consecro: sub cuius auspiciis in publicum prodeat tutius: et plus auctoritatis gratiaeque apud alios mereatur, neque sane hoc temere, et sine causa facio. Memor enim adhuc sum probe eximiae humanitatis bonitatisque tuae: qua ergo nos omnes, et erga me ipsum, quum in Academia nostra esses, usus es: memor etiam sum praeclarae indolis, adque industriae: quae ad uirtutem et studia literarum in te eminet maxime: ad haec in ea aetate te esse scio, et in hoc studiorum cursu, atque profectu: ut paulo post libelli huius lectionem non ingratam, aut infructuosam tibi accidere posse existimem: quo par aliquando euadas

maioribus tuis; summis illis et praestantissimis heroibus: quorum adhuc iucunda in animis hominum uiuit memoria, et rerum gestarum fama immortalis: quam nulla unquam uetustas aut obliuio obscurare poterit. Nam ut ueteres illos et priscos Comites, et familiae tuae illustris progenitores omittam: quis aut parentis illius tui REINHARDI Senioris tritaui fortitudinem animique magnitudinem praeclaram; aut ataui PHILIPPI Senioris, primi ex familia uestra ἀξίωμα et titulum Domini Lichtebergii adepti, egregiam fortunam; aut alterius PHILIPPI abaui eximiam belli scientiam; aut PHILIPPI III. proaui singularem uirtutem; aut aui PHILIPPI IV. clarissimam auctoritatem, et sapientiam, usumque in Republica gerenda; aut denique patris tui PHILIPPI V. pietatem fidemque et iustitiam incredibilem, satis oratione laudare et commendare queat? Quae profecto res omnes magno et adiumento, et incitamento esse tibi possunt, ad constantiam studiorum, et uirtutis perfectionem: et ad ea omnia comparanda, quae per uitam ad tranquillitatem et laudem, felicitatemque uel necessaria sunt, uel ita idonea, ut pro necessariis haberi debeant. Tu, Illustris Comes IOANNE REINHARDE, ea, qua soles, comitate et benignitate ut munusculum hoc litterarium accipias: et ex eo animi mei promptitudinem, obseruantiamque debitam colligas: maiorem[b] in modum rogo: qui ego Deum immortalem omnia studia et consilia tua perpetuo fortunare uolo. Argentinae Calend. Sextilib. Anno M.D.XVC.

VIII. EX SENCKENBERGIANA EDITIONE.[a]

SERENISSIMO. PRINCIPI. AC.
DOMINO... LUDOVICO. HASSORVM LANDGRAVIO.
PRINCIPI. HERSFELDIAE. ETC. ETC.

Tandem

DOMINE AC PRINCEPS CLEMENTISSIME!

me aliquid inuenire fortuna uoluit, quod TVA magnitudine

a) Cf. notit. litt. Ind. edd. N. XXI. *b) Sic Senckenb. dedit.*

dignum, et meae humillimae deuotionis argumentum esse posset. Scilicet DOMINE! non leuidense esse debebat, quod SERENISSIMIS TVIS obtutibus a me sisti debebat. Accipe ergo, qua soles Clementia, librum, totum Ius Romanum Iustiniani, quasi in nuce, quod aiunt, continentem, in Vniuersitatis illius, quae TE Nutritio superbit, decus renatum. Est is antiquissimus Iuris Romani, si alius fons limpidissimus; quique ob concinnitatem, et alia, quibus eminet, et a PRINCIPIBVS legi queat. Edidi multa, SERENISSIME PRINCEPS! ex quo libris exarandis et promouendis me dedi; nil emisi unquam, quod in Iuris studio, cum hoc libello comparari queat. Nec inuenietur forte alter, qui in hoc studiorum genere huius Opusculi dignitatem aequet. Non iniuria ergo TIBI offertur DOMINE! cui studiorum meorum inprimis ratio reddenda est. Scio DOMINE! atque deuotissima mente ueneror, TVVM, de studiis meis qualibuscunque Clementissimum iudicium. Ornasti me, quum nondum in tanto Principatu successisses, et postmodum de meis seruitiis ita sensisti, ut illa TIBI probata, in non minima felicitatis meae parte ponam. Probari sane cupio PRINCIPI et summae Prudentiae, et apto ingeniorum aestumatori, atque, ut multae occasiones suppeditentur, quibus meam minimum deuotissimam uoluntatem declarare ulterius queam, summa prece rogo, id adiiciens, uelit DEVS O. M. Stator Vniuersi, et Inprimis Imperii Hassiaci TE SERENISSIME PRINCEPS! posteritatem usque ad seram his terris relinquere, postmodum, quum ad diuos translatus fueris, omnibus, quod mereris, largissimum TVI desiderium. Sero sit illud denuo precor, perennis uero TVAE Clementiae fructus, nunquam non futuro

PRINCEPS SERENISSIME!

humillimo TVO seruo

EDITORI.

PRAEFAMEN.

MATERIES PRAEFAMINIS.

quam primi Iuris Doctores in Germania tenuerunt summaria.

§. XLIV. XLV. Obiectiones certae Methodo Iuris factae non obstant nostro libello, cuius iteratum scribitur elogium.

§. XLVI. XLVII. XLVIII. In autoribus Methodi studiosis non nulla alias ab autore dictis, recensendo adduntur.

§. XLIX. L. LI. LII. LIII. LIV. Historiae Iuris Supplementa scribuntur quoad eos, qui certam Methodum, totum Ius Germanica lingua exponendo, Seculo XIV. et XV. secuti sunt.

§. LV. Finis imponitur alloquio.

§. I. LIBRORVM Methodicorum de Iure nostro amans cum sim, LECTOR BENIVOLE! Votorum summam, imo etiam aliquid ultra consecutus uidebor, cum eum, quem typi denuo descripserunt, autorem inuenirem. Non eum talem noueram, qualis est, homo alias Historiae tam Legum et autorum quam litterariae Iuris, non plane, dicere id sine fastu liceat, imperitus. Nec is magis notus amicis meis per Germaniam et Belgium, ideo identidem rogatis. Sequentem titulum ei indice PRATEIO praefixit uetustas: CORPVS LEGVM,, PER MODVM INSTITVTIONVM. Alia uero Exempla manu exarata, docente PESNOTO et REVSNERO, BRACHYLOGI TOTIVS IVRIS CIVILIS elogium ipsi imponunt. Vterque titulus uetustatem ac Graecos minimum imitantem autorem olet, et tamen tanti precii libellus, usque ad nos, eruditis non satis innotuit.

§. II. Curatae sunt eius editiones, quantum ego quidem scio, usque ad nos quatuor. Primam omnium eam esse credo, quam sub titulo: *Brachylogus totius Iuris Ciuilis, siue Corpus Legum item Institutiones* T. CAII, *IureConsulti, et* DOMITII VLPIANI *ex toto scriptorum eius Corpore tituli undetriginta. Quibus accesserunt* IVLII PAVLI *receptarum Sententiarum ad filium libri V. antea typis non commissi. Lugduni* 1559. 8. ipse tractaui. Scilicet LVDOVICVS PESNOT, eruditus librarius, a CLAVDIO GVSTANO, apud Senonas Gallos Praetore urbano, antiquissimum acceperat Codicem, ex quo ille omnes hos libellos emisit, qui cuius fuerit aetatis non admodum constat. Adiecit Notulas tum suas, tum antiquiores, cum formulis, nonnullis agendi antiquis. Et hae sunt notae illae,

quas in infima cuiusque paginae margine aut litera *P.* aut plane non notatas, nostratibus iunctas subiecimus.

§. III. Haud ita longe post, AEGIDII PERRINI et PARDVLPHI PRATEII, Iuris Consulti clarissimi, Corporis Iuris Glossati editio, multa singularia continens, Lugduni 1562. V. Volum. fol. splendide ac quam adcuratissime emissa est. Extant illic Leges Longobardorum cum Glossis, Nouellarum Epitome IVLIANI, X. Nouellarum collatio, insolens atque feudali Iuri uulgo debitum nomen, et plura alias heic non deprehendenda. Vol. V. autem p. 499. sqq. insertum *Corpus Legum*, cum CAIO, PAVLO, VLPIANO, quod nunquam antea excusum, a se autem in libro antiquissimo inuentum, iactitabant editores. Deprehendi hoc exemplum priori PESNOTI correctius, notulasque in eo PRATEII, cum adnotatione locorum, unde depromta Corporis Legum placita; et hinc non nulla decerpsi, literis *Pr.* in ima margine signata. Notaui ea, in quibus haec editio ab aliis abit, eamque praecipue secutus sum.

§. IV. Iam utilitatem huius libelli haud ita longe post agnouit NICOLAVS REVSNERVS, Professor tum Iurium Argentinensis Celebris, et pluribus scriptis eruditis post fata uiuens, qui hunc eius in noua Editione titulum fecit: Βραχύλογος *siue Iurisprudentiae uniuersae* IVSTINIANEAE *Corpus enucleatum, paratitlis ac notis perpetuis locupletatum* Francof. 1590. 8. Meritus est de hoc libello eatenus haud ita male REVSNERVS, quod illum in paragraphos secuit, et omnibus locis textus, notasue perpetuas addidit, quas sub singulis §§. exhibemus non apposito autoris nomine, sed in eo profecto nimium in alieno et antiquo opere sibi indulsit, quando paragraphos pro lubitu disiecit, multa inseruit, alia immutauit, et interdum in diuersum sensum detorsit; nec potui heic, quin recordarer OVIDIANI uersus:

Quis tibi, saeue puer, dedit hoc in carmina Iuris?

De caetero REVSNERVS libellum suum in Dedicatione, et alias, admodum commendat, et iura discentibus utilissimum praedicat. Meminit is etiam *editionis Louaniensis*, adeoue quartae, quam tamen mihi lustrare non licuit.

§. V. Mirabar ego, cum mihi tot editiones obuenirent,

qui factum, ut liber summae utilitatis, post REVSNERI etiam commendationem, plane e scholis et memoria hominum extruderetur. Imputaui id WESENBECII Paratitlis, TREVTLERO, VVLTEIO, et aliis, suos potius libellos commendantibus. Succensui autem aliis, publici commodi interuersi ergo. Indeque statim mecum deliberaui, qui fieri posset commodissime, ut eum Erudito orbi restituerem, pronioriue in antiquam ac certam Methodum Seculo nostro, hoc ipso quodammodo subsidio essem. Rogatus ea de re sententiam *Vir honestissimus Bibliopola* FLEISCHERVS, sibi illud gratissimum esse consilium respondit, atque suscepta edendi prouincia, nec laboribus nec sumtibus pepercit, quo emendatissime ac nitidissime, liber quouis nitore dignus, Legum Sacrarum cupidis denuo obueniret.

§. VI. Fundaminis loco huic editioni quidem substraui REVSNERIANAM, sed quod praecepi, ad uetera PRATEII et PESNOTI exempla exactam, notatis tamen iis, quae REVSNERVS addenda aut immutanda censuerat. Et ita accidit, ut mea Editio cuncta illa exhibeat, quae PESNOTVS, PERRINVS, PRATEIVS, REVSNERVS, ad ornandum huncce libellum contulerunt. Ad L. II. c. 33. tria graduum cognationis Schemata iunxi, quae ab antiquis Codicibus deprompta, Editioni suae Institutionum adiecerat p. 35. magnus imo diuinus CHARONDAS. Ratus uidelicet, neminem Romana Iura exacte hactenus intelligere posse, nisi de doctrina graduum, qualis ueteribus erat, ex asse sit instructus. L. IV. autem c. 21. p. 239. addidi Indicem obligationum et actionum CVIACII, antehac et magno Iurisconsulto ALEXANDRO CHASSANEO dignum uisum, quem Paratitlis suis ad Instituta inseri iuberet.

§. VII. Iam etiam ne quid et alias desideraretur, quod discentibus prodesse posset, uarias subiunxi appendices (1.) MATTHAEI WESENBECII Epistolam de formando Iuris Studio. (2.) SIMONIS A LEEVWEN Historiam Iuris. (3.) SAM. STRYCKII rationem allegationis Iurium. (4.) M. G. I. C. Quae in cuiusque tituli Legumque elucidatione obseruanda. (5.) Breuiarium Institutionum per CHRIST. BESOLDVM, et (6.) Indicem titulorum omnium tam Iuris Ciuilis quam Canonici. Opinor autem me heic omnia praebuisse, quae Iurium Stu-

diosis ab initio usum praestare queant; Subieci deinde Indicem, et hoc praefamine docebo pluribus, quam largus in docendo exponendoue Iure, nostri libelli usus esse queat. Quibus curis si eorum expectationi satisfaciam, qui nostra se probare multis uicibus publice testati sunt, quibusue inprimis eruditissimo Coloniensium Nouellarum Autori IGNATIO RODERICO V. C. nominatim ideo grates persoluo, habebo sane, de quo mihi meisue studiis gratuler.

§. VIII. Fere omisissem explicationem Eiconum, quas frons libelli exhibet. Vides in prima areola IVSTINIANVM cum THEODORA sua, tales, quales monimentum Rauennatense exhibet, ne eo quidem, quod manibus gestabant, omisso. Ad eorum pedes collocaui libros, qui Iuris Corpus constituunt. A latere autem Iuris nostri parentem alterum, ingentem TRIBONIANVM, Iuris Corpus manibus tenentem. Alterum latus claudit Corporis Legum autor, quisquis ille demum fuerit, sane non minoribus dignus elogiis, quam ipse TRIBONIANVS. In areola inferiore receptui canentes timideue respicientes lustras ueteres Iuris utriusque Monarchas, BARTOLVM, CYNVM aliosue, ALCIATI, ZASII, CVIACII, locum antecessorum dignius occupantium, obtutus non ferentes. Scilicet hi, quorum ex monimentis genuinas eiconas repraesentari curaui, praecipue in eo allaborarunt, ut exularet barbaries, Iusue nostrum aliquatenus poliretur.

§. IX. AVTORIS autem Corporis Legum dum mentionem habui, dum faciem illius delineandam ex ingenio sumsi, non eo id a me actum est animo, ut illius mihi fuisse plenam notitiam credi uelim. Delitescit is, ut multi alii, qui generi humano inuentis suis profuerunt. Bene sit illius umbrae. Auras uitales autem hausisse uidetur, minimum uiuente IVSTINO II. Imperatore. Id ut credam, me mouet non una haud infirma ratio. Etenim (1) Stylus Graecissans non ad Longobardorum dicendi rationem effictus, (2) Exemplarium antiquorum MSStorum habitus, quibus additi PAVLVS, VLPIANVS, CAIVS, in aeuo medio apud Glossatores et Monarchas nullius usus existentes, (3) Stylus nitidior et forma libelli alia, quam quae tempori Glossatorum conueniret, (4) silentium omnium de eo medii aeui Iurisconsultorum, (5) uerba Iuris Romani retenta, et ad IVSTINIANI

praeceptum tantum paraphrasi uestita, praeter (6) canam ipsorum MSstorum uetustatem, antiquissimum esse libellum nostrum produnt.

§. X. Cuius autem ille sit lustri, non adeo praecise definire licebit. Verbum Constitutionum, quod saepe de Codice praedicatur, eum (1) aetati IVSTINIANI, aut paulo sequiori, uindicare uidetur, deinde et (2) ea, quae iam diximus, eodem collineant, (3) uox ipsa Corporis Legum satis Latina, et eo tempore usitata, unde etiam denominatio Corporis VLPIANI, et alia defluxere, ut et Brachylogi, non aliam prodit aetatem, et (4) autorem nostrum ante illud tempus sua chartae commisisse, quo NOVELLA 140. qua coniugibus a se inuicem mutuo consensu diuertere permissum est, publici Iuris facta, id indicat, quod suo libello nihil huius L. I. c. 9. Sect. I. §. 3. inter causas diuortii inseruit. Attigit ergo, ut concludam, fortassis tempora IVSTINIANI ipsius, aut principium regiminis IVSTINI II.

§. XI. Italum fuisse aut Afrum argumentis efficiam, minimum illic uixisse eum, qui opus nostrum congessit. Si enim ad L. IV. c. 35. in fine deflectas, bona alias fisco quaerenda, Praesidi prouinciae olim cessisse uideas, et deinde L. IV. tit. ult. de calumniatoribus occurrere: *Ad quos autem iudices appellare liceat, dicere necessarium non duximus, eo quod ii, quos Lex nominat, apud nos non habentur.* Quibus uerbis itidem innuitur, solum Praesidem prouinciae ad ultimum adeundum. Quod autem de Africa dixi, inde colligo, quia c. IX. et X. Libri IV. nomina in Africa usitata, et litterae datae apud oppidum Vaccam occurrunt. Debile hoc argumentum, fateor, sed nil omittere uolui, quo cuncta pensitasse me ostendam. Canam minimum et haec libelli nostri aetatem magis efficiunt. Formulae enim satis antiquae, nec Glossatorum stylo conformes.

§. XII. Inuenta sunt eius manu exarata exemplaria in Gallia, quod iam audiuisti, et ea quidem eius plerumque parte, quae Italiae finitima. Neque tamen Gallia IVSTINIANI Legibus eo aeuo subiecta, licet aliud uisum aliis *Anal. Hass.* P. III. p. 185. sqq. utut etiam heic contradicendum sit GVILLIMANNO Heluet. 2. 12. I. qui tempus receptionis

ad THEODORICVM et annum 535. refert, nec minus ANT. DOMINICI de praerogat. allodior. CHILDEBERTVM nonnulla ex Nouellis IVSTINIANI in suas Leges transtulisse, asserenti. Vnde ex Italia acceperint necesse est, Galliae librorum penus. Num aliae regiones id genus Codices ostentent, definire non ausim, nec in ipsa Gallia inquirendi otium fuit, cum ante anni, quem uiuimus, primordia, consilium libelli nostri edendi non ceperim. Forte autem sequioribus temporibus, plura de Codicibus rescire dabitur.

§. XIII. Neque tamen quisquam dubitet, huic libro eam aetatem, eam patriam, quam dedimus, uindicandam esse. REVSNERVS sane libelli aetatem nesciuit, dum aliqua in eo deprehendenda Glossae tribuit, et magis adhuc assertis nostris obstat, quod Capitularis LVDOVICI Pii in Lege Lombarda L. IV. c. 3. §. 12. mentio fiat. Sed REVSNERO quidem facile uenia danda erit, si libelli antiquissimi aetatulam ignorauit, cum ea non essent tempora, quibus antiquitas Germaniae ICtis indagaretur, Legis autem Lombardae unicus locus, haud dubie per interpolationem insertus, cuius etiam in L. IV. c. 6. §. 2. haud obscura sunt uestigia. Non autem credendum, aequiora nostrum libellum sensisse fata, atque omnes fere alii Codices, cum medii aeui Doctores, in ueteres Codices sibi nihil non interpolando licere existimarent, uti illud a me *Diss.* ad *tit.* de origine Iuris ac Praetermissis eo pertinentibus, quoad ipsum Iuris Corpus demonstratum est. Non chartis, non diplomatis parsum, nec uel Imperiali constitutioni 2. F. 56. cui nescio quae ineptiae ex Iure Ciuili assutae, in RADEVICO minime deprehendendae. Ipsi quoque GRATIANO emblematicas contigisse manus, peculiari scripto exposuit DIOMEDES BRAVA de interpolatione GRATIANI Bonon. 1694. 4. Si uero id sanctissimo decreto subeundum fuit, qui non et Corpori Legum secularium?

§. XIV. Nomen libello nostro BRACHYLOGI, siue *Corporis Legum per modum Institutionum.* Vox Brachylogi Seculum VI. inferiusque Imperium sapit, nec minus altera appellatio Corporis in aetate aenea ac ferrea satis usitata, et collectionem, siue totum ambitum, indicans. CANGIVS Gloss. uoce Corpus. Sed et castae Latinitatis est

praeceptum tantum paraphrasi uestita, praeter (6) canam ipsorum MSstorum uetustatem, antiquissimum esse libellum nostrum produnt.

§. X. Cuius autem ille sit lustri, non adeo praecise definire licebit. Verbum Constitutionum, quod saepe de Codice praedicatur, eum (1) aetati IVSTINIANI, aut paulo sequiori, uindicare uidetur, deinde et (2) ea, quae iam diximus, eodem collineant, (3) uox ipsa Corporis Legum satis Latina, et eo tempore usitata, unde etiam denominatio Corporis VLPIANI, et alia defluxere, ut et Brachylogi, non aliam prodit aetatem, et (4) autorem nostrum ante illud tempus sua chartae commisisse, quo NOVELLA 140. qua coniugibus a se inuicem mutuo consensu diuertere permissum est, publici Iuris facta, id indicat, quod suo libello nihil huius L. I. c. 9. Sect. I. §. 3. inter causas diuortii inseruit. Attigit ergo, ut concludam, fortassis tempora IVSTINIANI ipsius, aut principium regiminis IVSTINI II.

§. XI. Italum fuisse aut Afrum argumentis efficiam, minimum illic uixisse eum, qui opus nostrum congessit. Si enim ad L. IV. c. 35. in fine deflectas, bona alias fisco quaerenda, Praesidi prouinciae olim cessisse uideas, et deinde L. IV. tit. ult. de calumniatoribus occurrere: *Ad quos autem iudices appellare liceat, dicere necessarium non duximus, eo quod ii, quos Lex nominat, apud nos non habentur.* Quibus uerbis itidem innuitur, solum Praesidem prouinciae ad ultimum adeundum. Quod autem de Africa dixi, inde colligo, quia c. IX. et X. Libri IV. nomina in Africa usitata, et litterae datae apud oppidum Vaccam occurrunt. Debile hoc argumentum, fateor, sed nil omittere uolui, quo cuncta pensitasse me ostendam. Canam minimum et haec libelli nostri aetatem magis efficiunt. Formulae enim satis antiquae, nec Glossatorum stylo conformes.

§. XII. Inuenta sunt eius manu exarata exemplaria in Gallia, quod iam audiuisti, et ea quidem eius plerumque parte, quae Italiae finitima. Neque tamen Gallia IVSTINIANI Legibus eo aeuo subiecta, licet aliud uisum aliis *Anal. Hass.* P. III. p. 185. sqq. utut etiam heic contradicendum sit GVILLIMANNO Heluet. 2. 12. 1. qui tempus receptionis

ad THEODORICVM et annum 535. refert, nec minus ANT. DOMINICI de praerogat. allodior. CHILDEBERTVM nonnulla ex Nouellis IVSTINIANI in suas Leges transtulisse, asserenti. Vnde ex Italia acceperint necesse est, Galliae librorum penus. Num aliae regiones id genus Codices ostentent, definire non ausim, nec in ipsa Gallia inquirendi otium fuit, cum ante anni, quem uiuimus, primordia, consilium libelli nostri edendi non ceperim. Forte autem sequioribus temporibus, plura de Codicibus rescire dabitur.

§. XIII. Neque tamen quisquam dubitet, huic libro eam aetatem, eam patriam, quam dedimus, uindicandam esse. REVSNERVS sane libelli aetatem nesciuit, dum aliqua in eo deprehendenda Glossae tribuit, et magis adhuc assertis nostris obstat, quod Capitularis LVDOVICI Pii in Lege Lombarda L. IV. c. 3. §. 12. mentio fiat. Sed REVSNERO quidem facile uenia danda erit, si libelli antiquissimi aetatulam ignorauit, cum ea non essent tempora, quibus antiquitas Germaniae ICtis indagaretur, Legis autem Lombardae unicus locus, haud dubie per interpolationem insertus, cuius etiam in L. IV. c. 6. §. 2. haud obscura sunt uestigia. Non autem credendum, aequiora nostrum libellum sensisse fata, atque omnes fere alii Codices, cum medii aeui Doctores, in ueteres Codices sibi nihil non interpolando licere existimarent, uti illud a me *Diss.* ad tit. de origine Iuris ac Praetermissis eo pertinentibus, quoad ipsum Iuris Corpus demonstratum est. Non chartis, non diplomatis parsum, nec uel Imperiali constitutioni 2. F. 56. cui nescio quae ineptiae ex Iure Ciuili assutae, in RADEVICO minime deprehendendae. Ipsi quoque GRATIANO emblematicas contigisse manus, peculiari scripto exposuit DIOMEDES BRAVA de interpolatione GRATIANI Bonon. 1694. 4. Si uero id sanctissimo decreto subeundum fuit, qui non et Corpori Legum secularium?

§. XIV. Nomen libello nostro BRACHYLOGI, siue *Corporis Legum per modum Institutionum.* Vox Brachylogi Seculum VI. inferiusque Imperium sapit, nec minus altera appellatio Corporis in aetate aenea ac ferrea satis usitata, et collectionem, siue totum ambitum, indicans. CANGIVS Gloss. uoce Corpus. Sed et castae Latinitatis est

haec uox. CICERO Ep. ad fam. V. Ep. 12. inquit, *a principio coniurationis usque ad reditum nostrum, uidetur modicum quoddam Corpus confici posse.* Deinde ad Q. fratrem: *Sed utros eius habueris libros, (sunt enim duo corpora) an utrosque nescio.* Lib. 2. ad ATTICVM Ep. 1. *Hoc tuum σῶμα curabo ut habeas.* OVIDIVS 2. Tristium u. 535. Hinc *Corpus* HOMERI *L.* 52. §. 2. de Legatis 3. *Corpus Iuris* LIV. L. III. c. 34. *Corpus omnis Romani Iuris L. un. pr. C.* de Rei uxor. act. unde *σωματότευχα Legum* NOVELL. LEON. I. Quod uero praecipue huc spectat, notandum etiam, Corpus itidem usurpatum, pro Compendio maioris operis, unde titulus *Corporis* VLPIANI pro Compendio maioris VLPIANI operis, inde etiam apud IVSTELLVM in Bibl. Jur. Eccles. T. I. titulus *Corporis Canonum*, et *c. si Romanorum* dist. 19. primae Canonum collectioni IVSTINIANI tempore aut paulo sequiori confectae et auctae applicatus, inde alii id genus tituli, circa idem IVSTINIANI aut IVSTINI tempus. STRVV. Hist. Iur. VII. 4. 579. 581. n. 3. MASTRICHT Hist. Iur. Can. n. 43. sqq. ANT. AVGVSTIN. de emend. GRAT. p. 175.

§. XV. Corpus ergo nostrum quasi Leges IVSTINIANEAE in Compendium redactae. Et opinabar ego olim IVONEM Carnotensem Epist. 173. nostrum Codicem his uerbis signare: *Hinc etiam habetur in libro constitutionum: si quis sine dotalibus instrumentis affectione maritali uxorem duxerit, non audeat sine causa Legibus cognita repudium ei mittere.* Sed ab hac mente discessi, postquam ad haec uerba propius accedentia in Codice haberi sensi. Nec ullius ueterum in aeuo medio memini, qui libelli nostri, maxime sane concinni Iuris Ciuiis IVSTINIANEI compendii, mentionem haberet unquam.

§. XVI. Laudem profecto et grates ab omni posteritate meretur, quisquis demum illius conscribendi prouinciam sibi sumsit. Nec est, nec fieri potest, Iuris, quale IVSTINIANI aeuo florebat, Compendium locupletius, breuius, nitidius. Non heic etiam ex turbidis lacunis Glossatorum bibimus, sed quasi ab ipso Imperiali splendore lumen accipimus. Quantum autem hoc libello peribit uanarum friuolarumue interpretationum! quantum opinionum commu-

nium! quantum nugarum, a tanto tempore congestarum! Interpretationem enim authenticam Iuris Romani noster fere aequat, cum non potuerit non scribere, nisi IVSTINIANI aeuo recepta, non referre, nisi usu fori, in Iure IVSTINIANEO adhuc quasi uiuente, probata.

§. XVII. Solenne uero id IVSTINIANI et IVSTINI sequioribusue temporibus, ut Legum Corpora, siue Compendia conficerent. Docent id uel ea, quae LEVNCLAVIVS et FREHERVS, in Iure Graeco-Romano emiserunt. In Graecia quidem sermone Graeco, in Italia et Africa Latino. Si ergo non alium usum haberet liber noster, quam ut Iuris IVSTINIANEI ueram commonstraret rationem, utque Iurisprudentiam a tot ac tantis purgaret ineptiis et Glossatorum, et eorum, qui uel hodie Iuris ueram rationem ignorant, iam plane foret incomparabilis. Sed longe plura iam dicti libelli ostendam commoda.

§. XVIII. Masculae sane Romanorum Iurisprudentiae studiosis, qui magis sit ad discendum in manus tradendus autor, ego quidem non noui, aut haud noui Iurisprudentiam. Coniunxit enim, et satis apte, Institutionum concinnam methodum, cum uarietate Digestorum, Codicis ac Nouellarum, dum materias omnes combinari debere credebat autor. Resecuit etiam inutiles Institutorum, quibus sibi mire placuit TRIBONIANVS, Digressiones, et cum nil omitteret, totumue Corpus Iuris fere exhauriret, libellum tamen ipsis Institutis breuiorem nobis reliquit, quod quanto constiterit labore, quanta iudicii intensione, nouerunt ii, qui scripta coagmentare didicerunt.

§. XIX. Methodus profecto est, quae maximum in Studiis momentum habet. Methodus est, quam ab omni aetate erectioris indolis homines secuti sunt, Methodus denique est, quam IVSTINIANI tempore, aut paulo post, praecipue Studia decere, iam tum uidit atque agnouit noster. Gestiebat uidelicet Institutiones IVSTINIANEO instituto non sufficere, *ut aures ac animi studentium nihil inutile nihilque perperam positum acciperent* utque nihilominus *totum Ius quasi per indicem* tangeretur, et tantum *diligentior scientia* ex Pandectis, Codice ac Nouellis peteretur. Vnde priuata industria Legem hanc rectius sequi ag-

gressus est, et, nisi me omnia fallunt, ei ita se accommodauit, ut rectius potuisset et melius nemo.

§. XX. Habetis ergo heic, quod satis repetere nequeo, genuinum Ius Romanum quale IVSTINIANI aeuo, aut paulo post, in ipsis rerum obtinebat argumentis; unde iam Glossatorum omnium communibus opinionibus, et tot in IVSTINIANVM nostrum commentis, ac ob uerum sensum indagandum deliriis, uix erit opus. Dedimus iam huius usus specimina in tota *Dissert.* Iura egressus e patria potestate Romana ac Germanica et alias ferme per totum. Liceat uero nostro applicare illud, quod de DONELLO suo edisseruit SCIPIO GENTILIS in Orat. eius funebri p. 457. *Adeo omnia Vir ille, inquit, ornate, ac distincte ueluti regionibus descripta disposuerat, noua quadam, sed naturae tamen ac rationi conuenientissima methodo usus. Lucem nimirum artemque illam huc attulerat, propter quam tantopere SERVIVM SVLPICIVM CICERO commendauit. Quam artem qui spernunt nouamque requirunt, quam quae a IVSTINIANO, uel, ut longius eatis, a SALVIO IVLIANO adhibita est, imprudenter admodum, ne dicam maligne, in ea re facere mihi uidentur, - Hoc enim egisse, Romanos illos ciuitatis Principes legimus, P. CRASSVM, CN. POMPEIVM, C. CAESAREM, M. TVLLIVM CICERONEM, cuius ex libris de Iure Ciuili in artem redigendo extat apud GELLIVM nobile de AELIO TVBERONE testimonium, philosopho Stoico et ICto grauissimo.*

§. XXI. Si uero tantis et dignis laudibus heroa suum cumulauit GENTILIS, quantos plausus merebitur noster libellus, authentica uidelicet quasi interpretatio sensuum Iuris, qui in toto Corpore eius habentur, cum non potuerit non autor IVSTINIANI ferme σύγχρονος illud nosse, quod ideo in foro obtinebat. Euitabit etiam hic libellus omnes alias, contra Methodum antehac natas obiectiones, cum uerba librorum IVSTINIANI quantum pote retinuerit, et quicquid de suo addidit, ab eodem traxerit tempore, et usu fori Leges explicuerit. Plura uero interdum in nostro exhiberi libello, atque in toto Iuris Corpore, is haud iuerit inficias, qui modo L. 1. tit. 9. Sect. 2. §. 4. in fine inspicere uelit, et L. IV. Processum totius Iuris Romani ordi-

ne digestum, considerare. Nec enim ullus Iuris liber, qui nobis IVSTINIANI beneficio obuenit, eum hunc in modum exhibet, et tamen genuine ut exhibeatur, omnino Ius Romanum discentium interest. Suis uero scribens Imperator noster Graecis atque Romanis, qui cottidie procedendi rationem in foro uiuentem quasi tueri poterant, eo minus necesse putauit cuncta ordine digerere hactenus, quo magis certum habebatur, procedendi rationem non ad Iurisconsultos, sed ad rhethorum scholas pertinuisse, ex quibus noster etiam multa adsciuit.

§. XXII. Profecto QVINTILIANVS in Oratoriis Institutionibus per totum satis indicat, Rhetores praecipue eos fuisse, qui Processus Romani formam intelligebant, quibusue ideo iuuenes Romani commendabantur, antequam Iuris aggrederentur studium. INCERTVS sane autor in Dialogo de oratoribus, quem alii FABIO, alii TACITO, aut PLINIO SECVNDO, tribuunt, itidem de hisce Rhetorum scholis pluribus loquitur, et AVTOR etiam noster L. IV. tit. 1. et 13. nec non 17. decerpit ea, quibus opus ex Rhetoribus. Quin idem, quem dixi, QVINTILIANVS, quam plurima Processui Romano eiusque formae inseruientia profert, quae apud omnes Romani Iuris autores interpretesue frustra quaeras, L. V. et XII. maxime.

§. XXIII. Caeteri usus ex ipso libello amplius percipientur, cuius autorem cum Italum aut Afrum fuisse dixerim, hoc ipso iis etiam est satis factum abunde, qui Iuris Romani nullum ferme usum unquam in Italia ante LOTHARIVM fuisse adstruere falso sategerunt. Conf. BRVNNQVELL. Hist. Iur. Parte III. m. 2. cap. 1. §. 9. IVSTINIANI profecto tempore et ex eius intentione *omnes populos Legibus tam ab ipso promulgatis quam compositis rectos esse*, *pr. Inst.* §. 1. indicium praebet, et non minus id uersus Florentino Exemplo praefixos indicare existimat B. HEINECCIVS Hist. Iur. L. I. §. 411. licet id inde plane non eluceat, sed Pandectas HERCVLIS aspidi comparent, utpote quibus quasi figurae gentium IVSTINIANVM uenerantium, ut clypeo HERCVLIS aliae figurae, insculptae sint. Quicquid eius sit, iam CONRINGIVS de Orig. Iur. Germ. c. 20. quam asserimus ueritatem proposuit.

§. XXIV. Pluribus autem ex instituto Leges Romanas

IVSTINIANEAS in Italia receptas, et sub Longobardis non plane exoleuisse probarunt GREGORIO GRIMALDI Istoria delle Leggi ê Magistrati del regno di Napoli Tomo I. L. 2. p. 77. sq. et L. V. p. 292. ubi ex Chronico Cassinensi L. III. c. 63. simul refert, DESIDERIVM Seculo XI. Cassini Montis Abbatem, postea sub nomine VICTORIS III. Pontificem, Instituta ac Nouellas potius raritatis causa ut κειμήλιον quam ob usum Iuridicum describi curasse, fuisseque adeo tum usum rariorem. Cuius autoris GRIMALDI etiam pro Antiquitate et scitis patrum uenerationem in eo miror, quod Historiam Amalfitanam de inuentis Pandectis, licet subdubitans, non penitus reiicere audeat. p. 292. et 302. Nec non GVIDO GRANDI, de quo mox plura, interque eos amplissime DONATO ANTONIO D'ASTI, Aduocatus Neapolitanus, in libro, cui titulus: *Dell' uso e autorita della ragion ciuile nelle Prouincie dell' Imperio occidentale* in Napoli 1720. 8. GRANDIO tamen rerum cognitione non comparandus.

§. XXV, Et omnino Clerici ferme non utebantur nisi Institutionibus ac Nouellis, et alii libri mage exoleuerant ante LOTHARIVM. Legatur ALEXANDER II. Pontifex c. 35. qu. 5. c. 2. apud GRATIANVM, ubi pluribus id agit, ut computationem graduum IVSTINIANI, (aequalem illi, quam praebet, B. AMBROSIVS Ep. 66. diu ante IVSTINIANVM) ex Institutionibus ac Nouellis cum canonica componat, simul adiiciens, quo gradu terminetur cognatio a IVSTINIANO definitum non esse, quod tamen *in Pandectis* tit. de gradibus et affinibus factum erat. Pandectas ergo cum Pontifice ferme non nouerant ea tempora, LOTHARII III. aeuum non diu praecedentia, sed, quod dixi, Instituta ac Nouellas praecipue.

§. XXVI. Id ipsum etiam probare licebit ex Chartis in Germania nostra deprehendendis. Antiquissima Germanicarum, ubi Iuris IVSTINIANEI mentio habetur, est apud MVSHARDVM et anni 1145. ubi conditionem in omni contractu ualere, ex §. 4. INST. de uerb. oblig. adducitur; et altera anni 1181. a me ipso, in RICCIARDO de Vsu Iuris feud. Longob. p. 22. adducta, et T. I. Meditat. SENCKENBERG. p. 60. inserta, ubi res diuini Iuris alienari prohiberi, nisi causa redemtionis captiuorum aut permutationis inter

Ecclesiam et principem, ex NOV. 62. 67. et 120. narratur. Nec in Germania hoc Seculo Pandectas aut Codicem adduci deprehendas, nisi forte alia Exempla, quae hactenus nondum nota, lateant. Add. IVONEM Ep. 280.

§. XXVII. Scio, IVONEM, quem dixi, et alios interdum, Pandectarum etiam in Gallia ac Anglia habuisse mentionem, easque pro reliquorum confirmatione adduxisse, sed usum horum Digestorum forensem cum CONRINGIO de origine Iuris Germ. c. XX. in fine, etiam in rebus sacris penitus nego, cum Pontifex (§. XXV.) eas ignorauerit seculo XI. cui ignotum esse nil poterat, quo Clerici uterentur. Loca apud IVONEM de Pandectis et toto Iure Romano agentia excitarunt INNOCENTIVS CIRONIVS Obseru. Iur. Can. L. V. c. 5. et Vir summae eruditionis C. G. SCHWARTZ pulcherrima Diss. an omnia, quae adhuc supersunt, Pandectarum Exempla e Florentinis manauerint? §. XIII. Et poterat sane IVO, antiquitatis studiosissimus, Pandectas nosse in Gallia sua, reliquorum uix unus et alter, ut statim docebo.

§. XXVIII. In Germania nostra, Seculo XIII. et Codex allegari coepit. Non opus est, ut omnia huius Seculi Diplomata, ubi Ius Romanum adductum, cumulem. Fecit enim id V. C. CHRISTIANVS GOTTLIEB RICCIVS in Spicilegio Historico-Diplomat. de usu Iuris Roman. IVSTIN. Sec. XIII. et XIV. §. XIV. Omnes autem materiae illic occurrentes, ex Codice sunt, qui tum magis frequentabatur. Illustre etiam eiusdem rei Exemplum in ANT. MATTHAEI Miscell. Exercit. aduersus ABRAH. A WESEL. c. XV. p. 283. in Diplomate PETRI, Decani Traiectensis, qui ex *L.* 2. *C.* quae sit longa consuetudo haec uerba: *Cum consuetudinis usus que longaeui non leuis sit autoritas* a. 1258. reliquis interserit. Nec plura me haec agentem defectura essent monimenta.

§. XXIX. IRNERIVS sane, aut quisquis demum Authenticarum autor fuit, FRIDERICI I. aetatem anteuertens, non nisi Codicem tractasse praecipue uidetur, cui etiam Authenticae insertae. Nouit eum FRIDERICVS, nouere etiam alii. Et primorum Bononiae docentium Iuris interpretum lectiones Commentariiue non ad Pandectas directa, sed ad

Codicem. Prouoco ad AZONEM, MARTINVM, BVLGARVM, CYNVM, IACOBVM, aliosue plures. Et si darem denuo, in Anglia aut Gallia Digestorum fuisse et Seculo XII. et XIII. usum aliquem doctrinalem, nil hoc ad Italiam atque Germaniam meam, de quibus me loqui, secunda uice dicam. Conf. ill. DE LVDEWIG Vita IVSTINIANI c. VIII. §. 57. et CAROLVS DV FRESNE in Gloss. uoce *Digesta.*

§. XXX. Quae hactenus dixi, eo pertinent, ut Historiam Amalfitanam, aliud quasi agendo, simul destruam. Orta sunt de ea inter eruditos tam Italiae quam alios ingentia litigia. Cum enim defunctus V. C. HENRICVS BRENCMANNVS Historiam Pandectarum, seu fatum exemplaris Florentini, Traiecti 1722. 4. cum Gemina Dissertatione de Amalphi emisisset, et simul tempus direptionis Amalphitanae indicare tentasset, opposuit se ei defunctus itidem V. C. GVIDO GRANDI in Epistola de Pandectis ad V. C. IOSEPHVM AVERANIVM ex secunda editione Florentiae cIɔ Iɔcc XXVII. 4. cui satisfacere tentauit BRENCMANNVS in Epistola ad V. C. FRANCISCVM HESSELIVM, qua examinantur praecipua capita Epistolae GRANDI de Pandectis, nec non Dissertationis similis argumenti V. C. CHRIST. GOTTL. SCHWARTZ. Trai. 1735. 4. Meo uero iudicio neutri horum satisfactum, uti etiam id praecipue ex V. C. ABRAH. WIELINGII Apologia pro Glossatoribus quodammodo elucet.

§. XXXI. Natus interea GVIDONI GRANDI in ipsa Italia grauissimus aduersarius, BERNARDVS TANVCCI, quem ILLE in Vindiciis pro sua Epistola de Pandectis Pisis 1728. 4. conficere annitebatur, sed incassum, cum TANVCCIVS in *difesa seconda dell' uso antico delle Pandette e del ritruuamento del famoso manoscritto di esse in Amalfi di BERNARDO TANVCCI da stia contra le Vindicie de P. D. GVIDO GRANDI libri due in Firenze* 1729. 4. denuo suis inhaereret. Sed et hunc deinde magno apparatu aggressus BARTOLO LVCCABERTI in *Nuoua Disamina della storia delle Pandette Pisane e di chi prima le rammentasse collo scioglimento delle difficoltà opposte all' Epistola de Pandectis ed o alle Vindicie de Admo P. Abbate GRANDI DA BERNARDO TANVCCI Dottore da Stia,*

diuisa in Parti IV. in Faenza 4. Et haec quidem opuscula uidimus, ac ignoramus forte plura.

§. XXXII. Id ex hac controuersia omnino certum exploratumue habemus, nullo autore illius temporis, quo id accidisse fertur, probari posse, Pandectas ab Amalphi Pisas fuisse delatas. Et superfuisse usque ad LOTHARII tempora usum aliquem Iuris Romani, satis etiam ex VALSECHIO de Statutis Pisanis ac alias, demonstrauit GRANDI. Aut ergo tum, si Ius Romanum eo usque durauerat in memoria hominum, uti id plane certum, non poterat adeo insolens uideri Pandectarum in praeda Amalfitana deprehensio: aut uero si non durasset, eius pretii haberi uetus Codex, ut omnis praedae Pisanis locum teneret. Quinimo si Ius Romanum receptum, nulla adeo insignis raritas alicuius id genus Codicis, ut pro egregio haberi posset munere. Vt iam taceam, LOTHARIVM direptioni Amalfitanae Pisanorum non fuisse praesentem, nec adeo dono dare quiuisse id, quod ad ipsum non spectabat, aut ideo Diploma impertire.

§. XXXIII. Forte Codex noster, quem hodie Florentinum uocamus, reliquae Amalfitanae praedae in numero fuit; forte primum, uti id docuit GRANDVS, non magni aestimatus, deinde aestimio creuit, postquam Pisani didicerunt, esse Iurisconsultos, qui hunc librum, ut integrum Pandectes exemplum, alicuius precii esse crederent: Forte ut deinde fama fallax ueris falsa addere solet, ex re nihili fabricata illa Amalfitana Historia, adscitus, qui in scholas et fora Italiae Pandectas introduxerit, LOTHARIVS, adscitae etiam reliquae Historiolae, uel ideo inanes, quia ipsi illarum architecti nesciunt, cui ciuitati aut tempori egregium illud inuentum tribuere debeant, qua de re lubet audire DONATO D' ASTI libro citato p. 8. his uerbis: *E comeche tutti abbiano per cosa certa che si fossero queste leggi restituite sotto* LOTARIO, *e durante la guerra co Roggieri: pure in quanto al tempo, e' atorno al luogo non picciola discordanza tra essi si ritroua. Il* SIGONIO *e con esso lui i piu approuati Scrittori uogliono Che ciò fosse accaduto nel* 1137. *Altri nel* 1128. *Altri nel* 1130. *Chi nel* 1140. *Chi in un tempo, chi in un altro. In quanto al luogo, è uero, che la piu commune*

è, che fosso Stata Amalfi; mà è uero altresi, ch' altri han uoluto che fosse Stata Melfi Citta di Puglia: altri Napoli: ed un moderno Scrittore BARESE, *per tirarsi l'amore de' Molfettani, uolle darne la gloria alla citta di Molfetta.*

§. XXXIV. Habes heic Historiam Amalfitanam, Glossatorum in cerebro natam a BARTOLISTIS et BALDISTIS pluribus mendaciis politam, tandem ex benigna CAROLI SIGONII adoptione, transfusam in omnes Iuris Historias. Sed non opus sane fuerat direptione Amalfitana, ut Ius Digestorum nossent Doctores, licet adduceretur rarissime. Bononiae sane inuentum Ius Ciuile, ipse fatetur BRENCMANNVS Epist. ad HESSEL. p. 54. ubi tamen ad Codicem id pertinere credit, nec Rauennae negari potest ullo modo inuentarum Pandectarum gloria, per ea, quae tradit Cl. SCHWARTZIVS l. c. §. XIII. XIV. XV. quibus non satis respondit BRENCMANNVS, cui sola illa obiectio, quod alii Codices Florentino pleniores, ac interdum emendatiores sint, tantum fixit crucis, ut confiteri fere necessum habuerit, fuisse alia archetypa, praeter Florentinum, adeoque etiam insignem illam Amalfitanam Historiam, quod consequitur, in mendo cubare.

§. XXXV. Non diuinauerim profecto, an hoc Pisanum, hodie Florentinum, Exemplum ab omni aeuo Pisis fuerit, nec satis etiam nosse datur, unde tanta ei apud Iureconsultos nata ueneratio, ut ideo integras Tragoedias Comediasue concinnarent, quas ridere non potest non omnis, cui sanum est sinciput; nisi forte inde id accidit, quia reliquorum Exemplorum plerumque tres erant Tomi, in quibus modo hoc, modo illud, deficiebat, nostri autem Exempli duo tantum optime conseruati, et maxime integri, ad quos adeo in causis lectionis dubiae praecipue recurrere uisum. Seriem uero fabulae Amalphitanae ipsi deinde confinxerunt Iuris interpretes, quod contigisse non mirum uidebitur iis, qui plurimas fabulas tam Glossae insertas, quam etiam alibi in libris Iurisconsultorum aeui medii exstare sciunt.

§. XXXVI. LOTHARIVS sane Imperator eiusque Constitutio figmento addenda erant, quo maior autoritas Iuri

huic conciliaretur, quod in fora scholasue introducere tentabant Iureconsulti. Non repeto ea, quibus de LOTHARII autoritate Iuri Romano reducendo accommodata, dubitauit CONRINGIVS c. XIX. XX. XXI. de origine Iuris Germanici, sed hoc tantum addo, si LOTHARIVS Pandectas solas inuenerit, reliquis Iuris partibus ignotis, eum non quiuisse nisi his solis autoritatem commodare. Sed bonus ille Pandectes, necessaria patriae sarcina, et post LOTHARIVM in foro ignorabatur, usque ad eius statorem ACCVRSIVM, qui ergo LOTHARIO negotii quid cum eo esse potuit? Et qui non, si qua de Iure Romano eius exstaret constitutio, illa cum Legibus Longobardorum, ut reliquae Imperatoriae debuisset conseruari, qui non inseri Codici Authenticarum in morem?

§. XXXVII. Non ea tum erant tempora, quibus de abrogandis aliis Iuribus, et de inducendo nouo ageretur. Quisque iudicantis munus obiens, utebatur ab antiquo traductis, et iis, quibus Ius aequumue contineri crederet. Eundem sane in modum receptae Romanae Leges, ut aequitas scripta. Nec opus erat heic Imperiali confirmatione, quae et ideo fieri non potuit, quia Leges Longobardicae in omnibus causis regnum obtinebant, Iure Romano tantum subsidiario existente. Inde textus 2. F. 1. ait: *Legum autem Romanarum non est uilis auctoritas, sed non adeo uim suam extendunt, ut usum uincant, aut mores.* Qui uero potuisset hoc dici, si primo loco attendi debere Romana, Lege iussisset LOTHARIVS? qui Codex, ut probauimus, Pandectis praeponi, ad quas praecipue LOTHARIVS habuisset respectum? Cuncta ergo fabulam sapiunt.

§. XXXVIII. Pandectae potius autoritatem suam debent magno Monarchae, ACCVRSIO, Glossis et Commentis Lectionibusue Doctorum. Nescio qui factum, ut Codice ac Iure nouo Nouellarum relicto, Doctores in Pandectas inciderent, nisi haec derelictio, quam non tentauit ACCVRSIVS, non tentauit HOSTIENSIS aut ODOFREDVS, non alii, debeatur BARTOLISTIS ac BALDISTIS. Nullus sane liber magis inepte lectionibus accommodatur, quem etiam non his usibus destinauerat TRIBONIANVS, Doctoribus prudentior, uerum pauca tantum inde decerpta praelegi explicariue, reliqua priuatae

industriae relinqui uolebat. Processus Romani rationem sequitur Pandectes, qui cognitioni quidem forensi, sed non institutioni aptus, cum ter quaterue res una eademue requirenda sit, donec ea integra potiaris. V. g. Iura rerum et Iura realia, L. I. tit. 9. L. VIII. X. Lib. XX. L. XXIII. L. XXVIII. sqq. iterum L. XLI. et sic porro, deinde partim tit. de V. S. et R. I. habentur, insigni discentium taedio, qui id, quod ab initio didicerunt, aut postea repetere necessum habent, aut uero eius plane obliuiscuntur, adeoque nec altero loco operae faciunt precium sine triplici taedio.

§. XXXIX. Et tamen is homines ingenuae indolis stupor inuadere potuit, ut iis, qui saniora suaderent, ad nostra usque tempora non obaudirent, sed per tot nugas, per tot commenta perreptantes, si quidem unquam sero perueniunt ad id, quod eos scire, oportebat. Nec hodie ubique alia ratio. Primo ergo ebibimus Instituta cum mille Commentis, mille nugis, mille inanibus resolutionibus, et Ius per partes discimus, audientes interea aliqua, quae mirum dictu, miramue Iuris benignitatem! postea audituri non sumus denuo, utpote obsoleta, et ex uetere Codice abrogato reliqua (uide indicem horum bellariorum post editionem D. VAN DE WATER egregiam alias p. 657.). Terue quaterue his oblectati, adhibito HOPPIO, HVBERO, VINNIO, OTTONE, CHASSANEO, si belle nobiscum agatur, aut etiam, si peius, SCHNEIDEWINO, IASONE, MANZIO, MARTINO, HARPRECHTO, uel quouis alio adhuc prolixiore, tandem laeta Pandectarum arua ingredimur.

§. XL. Heic iterum noua multa, uetera et abrogata plura, ubi semper dicendum sit, hoc in Codice aut in Nouellis aliter obseruari, alteram etiam Nouellarum iterum alteram correxisse, ut iam nil moneam de usu fori. Litigant praeterea secum ipsi docentes, num IVSTINIANVS hoc uel illud, re uera postmodum iterum abrogauerit. Proponunt nobis Leges obstantes, a docente resolutas, et, si haec sciamus, quasi auri montes pollicentes. Hoc est docere fideliter, docere solide, reliquis, ita loqui amant, litus arantibus. LAVTERBACHIVS, LVDOVICI, HEINECCIVS, SCHOEPFFERVS hic euoluendus est, hic animo infigendus, WESENBECIO, CVIACIO, TREVTLERO, qui antehac regnum tenebant,

ad tartara amandatis. Adduntur obseruationes calamo excipiendae, interdum niue hyberna frigidiores, quasue in omnibus ubilibet obuiis libris deprehendas, caroue satis uenduntur precio.

§. XLI. Hocne Di boni! est Ius Romanum docere? et Ius aliquod subsidiarium, praeter quod plura habentur, quae discere debeas? Est potius tempus inutiliter terere, cum Analogia Iuris Romani in Academiis tantum sit iuuenum animis infigenda, reliqua postmodum suo marte peragere queant, et cum ne millesima quidem omnium casuum omnium controuersiarum pars, uel in prolixissimo discursu a docente proponatur, peragere uel sic debeant. Iterum tamen terue quaterue, pro communi docendi usu, haecce in Pandectas ludibria quiete ferre cogimur, donec tandem Iure Romano exhausto, nos dimittant ad alia.

§. XLII. Sanior profecto adhuc longe, si ex malis eligendum sit minimum, primorum, qui Ius in Germania docuerunt, Monarcharum ratio, qui et Ius Canonicum et Ius Ciuile per Summulas, omnium IVSTINIANI librorum semotis controuersiis, et sepositis aliis nugis tradiderunt, deinde aliquorum titulorum speciales Leges enodarunt, adeoque tum anologiam Iuris, tum Hermeneuticam doctrinam huius legitimae scientiae, effingere in animis discentium sategerunt. Sunt mihi ex horum numero Expositiones siue Declarationes titulorum utriusque Iuris per HARINGHVM SYFRIDI SINNAMA Colon. 1491. fol. et MICHAELIS DE DALEN liber casus summarius librorum Decretalium Sexti et Clementinarum una cum nuclio siue medulla glosularum omnium eorundem librorum in se continens Colon. 1476. fol. Addebant hi docentes flores Iuris utriusque, quos regulas uocamus, quod genus librorum flores utriusque Iuris continentem, composuit PETRVS DE OLPE Coloniae 1477. f. praelis datum, quibus si quis modum legendi Abbreuiaturas in utroque Iure cum uersibus memoriae caussa in totum Ius compositis iunxisset, cuius exemplum Norimbergae impressum a. 1482. fol. mihi est, arboremue consanguinitatis IOHANNIS DE DEO, cum expositione actionum IASONIS, aut alterius cuiusquam, hausisset, *Margaritam Decreti*, et *Vo-*

cabularium Iuris simul non obliuiscendo, iam satis et rite habebatur instructus.

§. XLIII. Confero haec ad Historiam Iuris, et quidem lubenter, per occasionem. Eum in modum adhuc cIↄ Iↄ VIII. in Iuris Studio nomen suum Moguntiae professus est IOHANNES SORBILLO, qui libello de arte legendi abbreuiaturas, cui sequentia subscripsit, exhausto, et summa aliqua, quae praecesserat, et quibus itidem subscripsit studii rationem, ita in reliquis processit: *Incepi ego IOHANNES SORBILLO Iura audire Moguncie sub ordinario in Iure Canonico memorando Magistro PETRO Rauennate Italo, qui tunc titulum de officio et potestate iudicis del. profitebatur. Ordinariis in Iure Ciuili egregiis Doctoribus LAMPERTO RICHTERGIN et Seniore KVHORN uxoratis deinde D. NICOLAO RVCKER sub anno Domini* 1508. *pridie Kal. Iulii.* Et haec hactenus.

§. XLIV. Praecipua aduersus methodum, ut iam ad ea, unde discessimus, reuertamur, querela haec est, abduci iuuenes ab ipsis Legum uerbis ac textibus, cum tamen ipsi Doctores in Commentis suis ab iis recedant, nilque nisi turbidas Glossatorum lacunas, titulis Pandectarum tantum retentis, in Paratitlis suis praebeant. Mage regnant BARTOLVS ac BALDVS, aliiue egregii Doctores, quam ipsae Leges, quas allegasse satis habent, de sensu parum solliciti. Quicquid autem huius sit, libello nostro nihil huius uitio uertetur, qui uerba Legum retinet, et ab ipso IVSTINIANI aut paulo sequiore aeuo profectus est, ut uerba eius Legum ipsa tenere possint, cuiusque etiam doctrinis antinomiarum cumulo illo insigni liberamur.

§. XLV. Quod ergo in Iure Romano recentiores efficere non potuerunt, ut Methodus certa adoptaretur, is forte efficiet, nullis profecto obiectionibus oppositus, simul autem docens, iam ipsa IVSTINIANI tempora, aliam expoposcisse methodum. Nec hactenus sibi defuerunt Graeci in Iurisprudentia Graeco-Romana post IVSTINIANVM, qui cuncta IVSTINIANEI Iuris scita, in Compendia redegerunt plura, quorum aliqua ad nostram peruenere aetatem. Eminet inter ea HARMENOPVLI promtuarium, de quo et aliis huc

spectantibus, diligentissime egerunt I. A. FABRICIVS Bibl. Graecae Vol. XII. nec non STRVV. Hist. Iur. cap. IV.

§. XLVI. Sententiam dixi alias de Methodo, inprimis *Dissert.* de Iurisprudentia certa Methodo tractanda, ubi simul recensum eorum dedi, qui de methodo scripserunt. Occasio suadet, ut non nihil addam. Inter alios memoriam non omisi IOHANNIS ALTHVSII, magni illius et Iurisconsulti et Philosophi. Huius Iurisprudentia Romana, uel potius Iuris Romani ars, duobus libris comprehensa, et ad Leges Methodi Rameae conformata, ex editione auctiore Herborn. 1588. 8. eleganter excusa, primo libro Ius Dominii et obligationum, secundo autem Processum et actiones percurrit. Maiore uero Dicaeologicae opere, Libris tribus totum et uniuersum Ius, quo utimur methodice complectentibus Francof. 1618. 4. mai. Libri I. P. I. de Generalibus, II. de Dominio et possessione et horum annexis, III. de causis adquirendi Dominii, IV. de conuentionibus, V. de delictis. Liber II. de amissione Iuris. Liber III. P. I. de quaestione P. II. de Processu Iuris sermones miscet, ita, ut summam Iuris inde deprehendas peritiam, et iudicium Viri haud exiguum. Saepius editi hi libelli, et legi merentur omnino.

§. XLVII. Nec in numero minutiorum libellorum ego obliuisci debebam RICHARDI ZOVCHEI Elementorum Iurisprudentiae definitionibus, regulis et sententiis selectioribus Iuris Ciuilis illustratorum, quibus accesserunt descriptiones Iuris et iudicii sacri, militaris et maritimi Lugd. Bat. 1652. 12. et MATTHIAE STEPHANI Exegeseos Iuris Ciuilis, quo utimur, ad Methodum Institutionum IVSTINIANI Imperatoris concinnatae, et tribus partibus comprehensae, cum Exegesi Iuris feudalis et Canonici. Francof. 1617. 8. ubi autor Iura breuissime, sed satis diligenter, digessit. Vt et FRANCISCI HOTOMANNI Partitionum Iuris Ciuilis Elementariarum, adeo suo aeuo celebrium, ut sexies ederentur, antequam operibus insertae. Dignas iudicauit has Partitiones, quas septima uel octaua uice, cum aliquibus ad Antiquitates pertinentibus HOTOMANNIANIS excudi curaret EPHRAIMVS GERHARDVS Ien. 1716. 8. multus in commendando heroe suo, omni encomio dignissimo.

cabularium Iuris simul non obliuiscendo, iam satis et rite habebatur instructus.

§. XLIII. Confero haec ad Historiam Iuris, et quidem lubenter, per occasionem. Eum in modum adhuc cIↄ Iↄ VIII. in Iuris Studio nomen suum Moguntiae professus est IOHANNES SORBILLO, qui libello de arte legendi abbreuiaturas, cui sequentia subscripsit, exhausto, et summa aliqua, quae praecesserat, et quibus itidem subscripsit studii rationem, ita in reliquis processit: *Incepi ego IOHANNES SORBILLO Iura audire Moguncie sub ordinario in Iure Canonico memorando Magistro PETRO Rauennate Italo, qui tunc titulum de officio et potestate iudicis del. profitebatur. Ordinariis in Iure Ciuili egregiis Doctoribus LAMPERTO RICHTERGIN et Seniore KVHORN uxoratis deinde D. NICOLAO RVCKER sub anno Domini* 1508. *pridie Kal. Iulii.* Et haec hactenus.

§. XLIV. Praecipua aduersus methodum, ut iam ad ea, unde discessimus, reuertamur, querela haec est, abduci iuuenes ab ipsis Legum uerbis ac textibus, cum tamen ipsi Doctores in Commentis suis ab iis recedant, nilque nisi turbidas Glossatorum lacunas, titulis Pandectarum tantum retentis, in Paratitlis suis praebeant. Mage regnant BARTOLVS ac BALDVS, aliiue egregii Doctores, quam ipsae Leges, quas allegasse satis habent, de sensu parum solliciti. Quicquid autem huius sit, libello nostro nihil huius uitio uertetur, qui uerba Legum retinet, et ab ipso IVSTINIANI aut paulo sequiore aeuo profectus est, ut uerba eius Legum ipsa tenere possint, cuiusque etiam doctrinis antinomiarum cumulo illo insigni liberamur.

§. XLV. Quod ergo in Iure Romano recentiores efficere non potuerunt, ut Methodus certa adoptaretur, is forte efficiet, nullis profecto obiectionibus oppositus, simul autem docens, iam ipsa IVSTINIANI tempora, aliam expoposcisse methodum. Nec hactenus sibi defuerunt Graeci in Iurisprudentia Graeco-Romana post IVSTINIANVM, qui cuncta IVSTINIANEI Iuris scita, in Compendia redegerunt plura, quorum aliqua ad nostram peruenere aetatem. Eminet inter ea HARMENOPVLI promtuarium, de quo et aliis huc

spectantibus, diligentissime egerunt I. A. FABRICIVS Bibl. Graecae Vol. XII. nec non STRVV. Hist. Iur. cap. IV.

§. XLVI. Sententiam dixi alias de Methodo, inprimis *Dissert.* de Iurisprudentia certa Methodo tractanda, ubi simul recensum eorum dedi, qui de methodo scripserunt. Occasio suadet, ut non nihil addam. Inter alios memoriam non omisi IOHANNIS ALTHVSII, magni illius et Iurisconsulti et Philosophi. Huius Iurisprudentia Romana, uel potius Iuris Romani ars, duobus libris comprehensa, et ad Leges Methodi Rameae conformata, ex editione auctiore Herborn. 1588. 8. eleganter excusa, primo libro Ius Dominii et obligationum, secundo autem Processum et actiones percurrit. Maiore uero Dicaeologicae opere, Libris tribus totum et uniuersum Ius, quo utimur methodice complectentibus Francof. 1618. 4. mai. Libri I. P. I. de Generalibus, II. de Dominio et possessione et horum annexis, III. de causis adquirendi Dominii, IV. de conuentionibus, V. de delictis. Liber II. de amissione Iuris. Liber III. P. I. de quaestione P. II. de Processu Iuris sermones miscet, ita, ut summam Iuris inde deprehendas peritiam, et iudicium Viri haud exiguum. Saepius editi hi libelli, et legi merentur omnino.

§. XLVII. Nec in numero minutiorum libellorum ego obliuisci debebam RICHARDI ZOVCHEI Elementorum Iurisprudentiae definitionibus, regulis et sententiis selectioribus Iuris Ciuilis illustratorum, quibus accesserunt descriptiones Iuris et iudicii sacri, militaris et maritimi Lugd. Bat. 1652. 12. et MATTHIAE STEPHANI Exegeseos Iuris Ciuilis, quo utimur, ad Methodum Institutionum IVSTINIANI Imperatoris concinnatae, et tribus partibus comprehensae, cum Exegesi Iuris feudalis et Canonici. Francof. 1617. 8. ubi autor Iura breuissime, sed satis diligenter, digessit. Vt et FRANCISCI HOTOMANNI Partitionum Iuris Ciuilis Elementariarum, adeo suo aeuo celebrium, ut sexies ederentur, antequam operibus insertae. Dignas iudicauit has Partitiones, quas septima uel octaua uice, cum aliquibus ad Antiquitates pertinentibus HOTOMANNIANIS excudi curaret EPHRAIMVS GERHARDVS Ien. 1716. 8. multus in commendando heroe suo, omni encomio dignissimo.

§. XLVIII. Deinde memoriam merebantur IOANNIS THOMAE FREIGII Partitiones Iuris utriusque e CONRADI LAGI Methodo expressae, et multis mendis purgatae, ita ut nouae quodammodo prodire uideantur. His adiectae sunt Partitiones feudales, ex Clarissimorum Iurisconsultorum VDALRICI ZASII et FRANCISCI HOTOMANNI Commentariis deductae Basil. 1581. fol. Meritus sane et hoc dichotomico opere et alias non male de Iurisprudentia FREIGIVS, assiduus magni ZASII assecla et encomiastes, cuius ad hunc librum praecipue directum aliud opus: *Neue* Practica Iuris *und Formulen oder Concepten allerley in zwee Theil abgetheilt. Auss welchen der erst in sich begreifft, die Practick so in rechten gebreuchlich und üblich-nach den Lateinischen* Partitionibus Iuris-*gestellt und angeordnet.* Basil. 1574. fol. ubi formulas ad totum hoc partitionum corpus, praecipue Processum exhibet, instituto haud inutili, quodque postea imitati plures.

§. XLIX. Minime omnium, dum Methodi studiosos recensemus, eorum obliuisci conuenit, quorum Ill. Dn. KOPPIVS in erudito Historiae Iuris opere, p. 243. mentionem habere coepit, eorum nimirum, qui communis in Iure ex ignota Germanis lingua ortae difficultatis miserti, Germanico sermone certaue Methodo Iura nostra tradere instituerunt. Eminet inter eos Seculi XIV. finientis aut XV. opus *das Rechtbuch*, de quo in *Programmate* de Iure Hassorum priuato. §. VIII. Ab eo tempore praecipue de contractibus, testamentorum formulis et actionibus solliciti fuisse uidentur Germani, si haec scirent, cuncta se tenere arbitrati. Hinc *Formularia* uariorum, quae uocant, Seculo XV. nata, partim non impressa, qualia nobis sunt, partim typis data, ubi nec ANONYMVM, omnium antiquissimum, circa annum 1470. fol. excusum, et 1488. repetitum, cuius labor *Rhetorica und Formular* dicitur, nec HENRICVM GELENVM *in neu Practicirt Rhetoric und Briefformulary.* Argent. 1493. fol. et postea saepius, sed FRIDERICVM RIEDERERVM tantum memorabo, cuius libelli hic est titulus: *Spiegel der waren Rhetoric uss MARCO TVLIO CICERONE und andere geteutscht mit iren Glidern Cluger Reden, Sandt-Brieffen und Formen mencher Contract, seltzam*

reguliertz teutzsch und nutzbar exempliert mit Fugen, uff Götlich und Keyserlich Geschrifft nun recht gegründet, neulich (und vormal in gemein nie gesehen) jietz löblich aussgangen und getruckt. **Friburgi 1490. fol. mai. et postea saepius inprimis 1517. Argentinae. Hic enim omnium coryphaeus, et nouus, quod uides, SPECVLATOR.**

§. L. Hinc etiam euenit, ut, de Actionibus ac Procedendi forma solliciti, *libellos Actionum* **meditarentur. Primum prodiit opus sine titulo, cui Prooemium breue praescriptum, satis exiguum eius aeui Romani Iuris in foro usum, et alia id genus indicans, quod in margine leges. (*) Circa annum cIↃ cccc LXXX. fol. emissus hic libellus, cuius deinde anno cIↃ cccc XCVII. progenies fuit eundem tenens ordinem:** *Clag Antwurt und ausgesprochene Urtheil gezogen aus geijstlichen und weltlichen rechten. Dadurch sich eijn jeder er ſey Clager antwurter, oder richter vor unrechter That, Handlung und fürnemen hüten mag!* **ubi in calce lego:** *Seliglich getruckt in der Keiserlichen Statt Augspurg von Hannsen Schönsperger als man zalt nach Christus Geburt* **cIↃ cccc XCVII.** *Iar.* **fol. In-**

(*) *Nach dem vnnd ein yglich Mensch dem Gesetz vnterdanig sein soll, als geschrieben steet* ff. de leg. et Senatusc. l. II. *vnder anderm* in latein. Lex est, cui omnes homines decet obedire. *so ist auch ein yglicher schuldig die Gesetz zu wissen vnnd besunder die die gemeinlich zufallen.* ff. e. l. iura oportet constitui. Vt dixit THEOPHRASTES in hiis que frequenter accidunt. *Herumb sein ettliche Clagen und nützliche Lere auss gemeinen beschriebenen rechten der Keyserlichen Gesetz und den Hauptbüchernn* ex originalibus libris *in Latein* Pandectarum ff. C. *vnd* Institut. *gezogen, Got zu Lobe. Eyn Hochgebornen Fürsten des Heiligen Reichs vmb fleissiger Vorbete willen zu eren, vnd den Vndertanen des selben Reichs zu Gebrauch, so vil und zu teglicher übung not seyn beschrieben, damit die Fensterniss der Vnwissenheyten gelegt und das gemeyn recht in trefflicher Handlung offenbar werde in teutschem gesatzet, des sich ein yeder im rechten so yme not seyn würt halten vnnd in Warheyt besteen mag und fahet das Register an also.*

uentum autem huncce librum in multis correctum auctumque dedit SEBASTIANVS BRANT sub titulo: *Der Richterlich Clagspiegel* primum Argentinae 1516. fol. postea saepius, et ultimo, ni fallor, 1553. fol.

§. LI. Subiunxit autem illud opus BRANTIVS, celebris ille, et rei Germanicae iuuandae studiosissimus Argentinensis Cancellarius, VDALRICI TENGLERI libro *Layenspiegel* dicto, et Augustae circa annum 1508. fol. primum typis mandato, quasi in supplementum. Posteriorem hunc totum Iuris ambitum praeter agendi formulas continentem laborem, CHRISTOPHORO TENGLER filio suo, Doctori et Collegiato Ingolstadiensi, autor poliendum tradiderat anno 1510. qui eum auctiorem patri dicans emittensue, se aliquando etiam speculum Iuris Canonici *Priesterspiegel* adiecturum narrauit, sed promissis haud stetisse uidetur. Anno autem MDXIV. mortuo aut librum suum pro derelicto habente TENGLERO iuniore, BRANTIVS operi se dedit, et Additiones composuit, quibus ornatus liber in folio emissus, postea uel uicies et ultra atque ad annum MDLX. ferme cum figuris ligno incisis prodiit, quo eruditiores hos conatus ridentes, solum Ius Romanum sequi iussere, cum hi Speculatores haud parum Germanici conseruassent.

§. LII. Praeter formularia autem quam plurima, HVGII, EGENOLPHI, MEICHSNERI, ZWENGELII, SAVRII, et mille aliorum, qui omnes in hoc sudarunt, uariasque PROCESSVVM FORMAS Germanicas: inter quas eminet CHRISTIANI EGENOLPHI nomen praeferens *Der Gerichtlich Process, Franckfurt* 1555. fol. etiam Seculum XVI. tulit: *Statutenbuch, Gesatz, Ordnungen, und Gebräuch geistlicher allgemeiner, und etlicher besonderer Land- und Stettrechten Franckfurt* 1558. fol. ubi autor, quisquis is est, omnia Iura Ciuilia, feudalia ac Statutaria cum consuetudinariis, in iustum ordinem concinne coagmentare sategit. Homo sane rei Germanicae ac eius Legum studiosissimus, quique post fata, nostro aeuo, a me primam fert laudem, postmodum etiam laturus ab aliis.

§. LIII. Non tamen is aut Eruditionem aut reliqua omnia aequauit Iureconsulti uere Germanici IVSTINI GOBLERI, cuius habemus: *Der rechten Spiegel, auss natürlichem*

dem beschriebenen, geistlichen, weltlichen, und andern gebreuchlichen rechten, auch gemeijnen in heiligen reich teutscher Nation, Constitutionen und Ubungen, zugericht. Franckfurt 1552. fol. addita GOBLERI Eicone et figuris ligno incisis, cum aliter haec sacra non constarent. Absoluitur uero Partibus X. Pars I. agit de personis Magistratuum, II. de Legibus, Constitutionibus, Statutis, priuilegiis et Iure Publico. Pars III. de Contractibus. Pars IV. de successione testata et ab intestato. V. de acquirendo Dominio, eius Iuribus et seruitutibus. VI. de actionibus ex praecedentibus oriundis. VII. de Processu ciuili. VIII. de Processu Criminali. IX. de Iure feudorum. X. de causis Pacis Publicae, Politicis et bellicis, adiecta Aurea Bulla. Habes autorem, qui tentauerit, totum Iuris ambitum, excepto Ecclesiastico, adeoque et Publicorum Iurium placita, qualia aeuum ferebat, legitimo ordine componere, qui tamen communi Iureconsultotum uoce repudium accepisse uidetur.

§. LV. Et haec quidem erant, quibus Viri publico litterarum bono nati, Dn. KOPPII Notitias quoad scriptores Methodicos, Germaniae Seculi XVI. ex nostra penu libraria auctas uoluimus, cum Historia patrii Iuris non simul ac semel succrescere queat. Forte etiam iis, qui Iura antiqua patriae, quatenus eorum in foro usus indagant, materiem rei indicando, haud ingratum praestabimus officium. Ei uero quod supra §. XLIX. de formulis et Processus cognitione monuimus, hoc adhuc adiiciendum, Seculo XV. ipsa Statuta, quae passim in ciuitatibus conscripta, itidem non de aliis ferme, quam de id genus rebus formulis inferri solitis, cogitasse.

§. LV. Vt autem post multa diuerticula ad libellum meum reuertar. Gratulor uerae Iurisprudentiae Romanae eius restitutionem et heic in calce, quae non aliunde purius, non aliunde rectius haurietur, unde ego ipsus praelectiones in eum instituam, Iouem iurans lapidem, et testem uocans sanctam Themidem, nunquam me lectionibus meis ad sinuosa Pandectarum Volumina aut Institutiones, uulgatamue Methodum esse reuersurum. Si uero quis glande uesci malit, si forte Collectaneis suis uim facere,

si in aetate prouectiore mecum discere recuset, per me id licet, si libeat!

IX. EX SENCKENBERGII PRAEFATIONE AD E. BEGERI C. I. C. RECONCINNATUM.[a]

„Nec interest, Iustinianum Institutiones suas mancas emisisse, cum reliqua facile suppleri queant, et Iustiniani Seculum non aliam dispositionem tulisse videatur. Haec vero Iustiniani circumspectio, forte vel tum nimia, nobis, qui nulla lege docendi Imperatoria Iustinianea tenemur, obstaculo haud est, quo minus Ius publicum Romanum, quod plerumque omissum, et iure sacro, Imperatorio, legum, Magistratuum, Iudiciorum tum publicorum tum priuatorum, honorum, libertatis ac munerum praecipue constat, praemitti aut addi queat. Reliqua autem in se satis plana, et per iura personarum, rerum et iis inhaerentium, acquisitiones per vniuersitatem, obligationes priuatas, indeque vsque quaque dandas actiones et exceptiones ambulantia. Et in hac dispositionis ratione non adeo anxie laborandum, modo cuncta in vnum congesta deprehendere detur, quo non ad vnam eandemque speciem pertinentia decem in locis quaerenda sint. Huic institutionum ordini iuuenes iam adsuefiunt in scholis, vnde omnium tutissime is eligetur, quo alteri eos cum taedio adsuescere opus haud sit. Et forte eo ipso, omnibus in vnum locum collatis riteque dispositis efficietur, vt mille ducentis et vltra post Iustinianum annis, Iuri illius sua constet legitima, ab ipso, (non satis iure,) tantopere praedicata consonantia, nec ambagibus tot legum obstantium tempus terere, aut ex lacunis commentatorum bibere opus sit, fontibus sic satis clare fluentibus. Equidem non diu post Iustinianum, autor ANONYMUS, qui *Corpus Legum* ex omni Iure congessit,

---

a) Francof. et Lips. ap. A. L. Stettin. MDCCLXVII. 4°. §. 17.

in eadem fuit sententia, et totum Ius Iustinianeum, ad ordinem Institutorum disposuit. Hunc nos demum, fere memoria lapsum, ex editione septima orbi restituimus, eum in finem, vt denuo reuiuisceret quasi. (Francof. et Lips. 1743. 4°. vbi in praefamine amplissime de autore libroque illius egimus, sed editiones aliquas ante haec tempora factas ignorauimus.) Nec displicuit eruditis nostra opella. Imo secuta mox est editio Louaniensis (Louanii è typographia Academica 1761. 12°. ex editione Louaniensi 1551. curata, cuius etiam notas addidit.), vbi eruditissimus editor (Prof. [Corn. Franc. de] NELIS), iussu superiorum eum quam comtissimum stitit. Vti vero ille Institutionibus Iustinianeis omnino praeferendus, ita tamen Compendium tantum lectionibus omnino aptum sistit.

X. CHRISTOPH. SAXII DE BRACHYLOGO DISPUTATIUNCULA. [a]

Eam circiter aetatem [565. p. Chr. n.], *principium* certe, vt ait *Henr. Christ. Senckenbergius*, vir illustris, in *Praefamine* suo §. X. p. VII. *regiminis Iustini II.* vulgo attigisse censetur, qui nunc sub hoc nomine ambulat: BRACHYLOGVS *Iuris ciuilis, sive Corpus Legum post Iustinianum conscriptum, pandens totum Iuris Iustinianei ambitum*, quod ingenii monumentum vir modo laudatus *Senckenbergius cum notis perpetuis Ludovici Pesnoti, Pardulphi Prateii, et Nicol. Reusneri edidit, praefatus est, emendavit, cum sex Appendicibus et Indice gemino, Francofurti et Lipsiae* 1573. 4. Sed postquam viri praestantissimi *Hermanni Henrici Wesselingii, Petri* nostri ex fratre nepotis, ICti apud nos eleganter docti, indicio beneficioque primam eius libri editionem *Lovaniensem* in-

---

a) *Ex* Chr. Saxii Onomastico litterario s. Nomenclatore *etc.* part. II. Trai. ad Rh. 1777. 8. pag. 536...539.

spexi, non vnam habeo causam suspicandi, totum hunc libellum non istius antiquitatis fuisse videri. Primaria autem ἔκδοσις hunc praefert titulum: *Corpus Legum per modum institutionum ab incerto auctore in compendium redactum, ex vetustissima Bibliotheca, vbi diutius latuerat, nuper inuentum, breuibusque Annotationibus illustratum. ... Isagoge D. Ioannis Appelli in quatuor Lib. Institutionum D. Iustiniani Imperatoris per Dialogum. Lovanii. Excudebat Bartholomaeus Gravius, impensis Martini Rotarii* AN. 1551. *cum gratia et Privilegio C. M.* i. e. Caesareae Maiestatis. 8. — *Typographus* quidem vel quicunque Typographi nomine Praefationem scripsit, Lectori persuadere audet, *commodum ex Gallia in manus* eius incidisse, *quod nunc* daret *totius Iuris civilis Compendium, seu potius prima elementa*: mox coniecturam esse ait, *non Neoterici, sed vetusti alicuius auctoris, qui non ita diu post Iustiniani tempora vixerit, esse partum.* Verumtamen cum *Isagogen per Dialogum in IIII. Libros Institutionum Divi Iustiniani Imperatoris auctore Ioanne Apello, Norimbergensi, Iuris vtriusque Doctore*, a p. 120. = 181. lego, colloquentiumque inter se praesertim *Alberici* et *Sulpitii*, quo sub nomine ipse Dialogi auctor latet, verba animo mecum reputo, temperare mihi non possum, quin verear, ne is ipse *Ioannes Apellus*, vel *Appellus*, qui in Academia Louaniensi iussu *Caroli* V. Imper. iuris civilis Romani literas docuit, arg. p. 127. huius *Dialogi*, sive *Brachylogi* istius, sive *Iuris civilis compendii* auctor fuerit. Memorabilior saltem vtriusque oratio est, quam vt a me h. l. celari possit. Primum *Sulpitius* p. 155. *vt haec omnia*, inquit, *melius et*,, *exactius intelligerem, adiuuit me libellus Institutio*-,, *num, annos abhinc quadringentos conscriptus, quibus*,, *Lotharius Saxo orbi Romano imperauit, ad eum mo*-,, *dum, qui sequitur* .... dein sic: ALB. *Quis* ait, *fecit*,, ... [cf. supra pag. XV.] ... *resurgant hodie.*" rel. rel. Mox igitur illud Corpus legum aetati *Iustinianeae* proximum est: mox *Lotharii* Saxonis Imperatoris tempore, quod intra A. 1125.=1137. decurrit, conscriptum fuit. mox e Francia ad Lovanienses migravit, mox e Bibliotheca, nescio qua, ma-

ris Baltici aduectum est. Quis incredibiliter singulares huius libri casus, aut narrationis ludibria non miretur? Quis literariae huius mercis, quantumuis praeclarae, fucum non agnoscat? Vbinam vero gentium sunt illa *alia Exempla manu exarata*, ille *Exemplarium antiquorum MSStorum habitus?* Illa *cana ipsorum MSStorum vetustas*, alia id genus, quae subinde iactat in *Praefamine* §. I. et IX. p. I. et VI. *Senckenbergius:* cuius tamen auctoritas metuo, ne fraudi fuerit *Bachio*, in *Hist. Iurispr.* L. IV. c. I. §. XX.

XI. EX C. F. HOMMELII LITTERATVRA IVRIS.[a]

Brachylogvs ivris civilis post Pesnotium, Perrinum, Pratejum et Nic. Reusnerum editus a Senkenbergio, Francofurti et Lipsiae 1743. in Quarto. Diu equidem haesitaui, vtrum tenuem totius Iustinianici iuris epitomen fontibus adscribere liceret? Attamen, quia hoc opus, vt editores volunt, paulo post Iustiniani obitum conscriptum est, hunc non immerito locum, nempe postremum, occupat. Auctor eius ignoratur. Italum fuisse aut Afrum, leui coniectura existimat Senkenbergius. Quisquis ille fuerit, molliter quiescat! Libellus ipse in Gallia repertus Italiae vicina. Graecum quem gerit Brachylogi titulum, latine *Breuiloquum* vertas. Nempe quales Harmenopulus, Psellus, Balsamon, Photius aliique graece scripserunt Synopses, Eclogas, Manualia et Paratitla, talem latinus epitomen sua in lingua composuit, dignam cuius memoria conseruetur, caeterum non adeo magni vsus. Nam praeter summa doctrinae capita nihil in ea reperies.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.

Neque mihi adeo vetustum opus videtur, cum Ludouici Pii

---

a) Edit. II. Lips. 1770. 8°. pag. 57. 58. ubi inter „libros classicos iuris civilis" enumeratur Brachylogus.

et Legis Lombardae mentionem faciat. Nam haec glossemata neque ipsius auctoris verba esse, mihi persuaderi vix patiar.

XII. ANDREAE GVILIELMI CRAMERI DE BRACHYLOGO IURIS CIVILIS PRAETERMISSA. *

Brachylogi iuris ciuilis, de quo animus est breuiter sermonem instituere, a SENCKENBERGIO [a]) editiones tres recensentur. Prima *Ludou. Pesnotii*, cum scriptis Caii, Ulpiani et Paulli prodiit *Lugduni* 1559. 8. notulis haud magni pretii ipsius editoris instructa. Altera est *Pard. Prateii* quae prostat in Vol. V. Corporis iuris, quod *Lugduni* 1562. *Fol.* editum est, a Pesnotiana hinc inde recedens et glossulis haud paulo melioribus onusta. Tertia est *Nic. Reusneri Frcf.* 1590. 8. uberiore commentario, et, si non ualde docto, tamen non inepto ditata. Tribus his, post longum satis temporis interuallum, accessit *Senckenbergiana Frcf. et Lips.* 1743. 4. in qua, si penes Editorem fides, integra Pesnotii, Prateii et Reusneri commenta habentur, ab illo ipso autem praeter sat longum praefamen, ut uocat, nihil fere additum est nisi in calce uariorum libelli uarii, consilio, nescio quo, congesti. His nuper adiecit litterator et affinis doctissimus *Cph.* SAXE [b]) aliam, Senckenbergio quidem obiter ex Reusnero memoratam, nunquam tamen uisam, quae hoc epigrammate ornata: *Corpus Legum per modum institutionum ab incerto auctore in Compendium redactum, ex vetustissima Bibliotheca, ubi diutius latuerat, nuper inuentum, breuibusque Annotationibus illustratum. — — Isagoge D. Joannis Appelli in quatuor Lib. Institutionum D. Iusti-*

---

*) A. G. CRAMER, ... DISPVNCTIONVM IVRIS CIVILIS LIBER SINGVLARIS. SVERINI ET WISMARIAE ... MDCCXCII. 8°. Caput XII. pag. 94...100.

a) in *Praef. Brachyl.* §. 2. *sqq.*

b) *Onomast. litter. Part. II. p.* 537. *sq.*

niani Imperatoris per Dialogum. Louanii 1551. 8. prodiit. Ea princeps omnium hucusque habita est. At non contentus fuit haec indicasse V. Cl., sed post Senckenbergium, qui, ut libelli dotem augeret, eum Imp. Iustiniani *) II. temporibus uindicare sustinuit, altius in auctorem inquisiuit, tandemque in hac constitit sententia, ut ipsum illum *Jo. Apellum* huius partus parentem statueret. Et sane huic coniecturae magnum pondus accessit ex iis, quae ex Praefatione et Dialogo ipso in medium protulit, quae mirae inconstantiae hominem reum postulare uidentur. Super idem argumentum nuper disseruisse et Saxii auctoritatem sua firmasse Lipsiensium Antecessorem Celeb. PÜTTMANNUM c) fama tulit. Sed cum istae plagulae ad manus nostras, quod dolemus, haud peruenerint, quibus argumentis usus sit dicere nequimus. Res igitur cum Cl. SAXIO nobis tantum erit, uerum non quasi cum hoste, sed ut dubia, quae me districtum tenent, aut ab illo, aut ab aliis quibus maior quam mihi librorum copia est, e medio tollantur. Dubitatio autem oritur tam ex persona *Jo. Apelli*, quam ex eo, quod, si non plures, certe una antiquior *Louaniensi* extat Brachylogi editio, quae splendidis uerbis se primam iactat. Refert autem typographus Louaniensis, teste Saxio: *commodum ex Gallia in manus eius incidisse quod nunc daret totius iuris Compendium, seu potius prima elementa.* Quid? si haec narratio uera? Reipsa enim exstat Brachylogi editio Gallica paucis annis ante edita, quam miraberis tot uiros doctos latuisse. Locum ea sibi uindicat in editione praestantissima sed non ubiuis obuia Corporis iuris Justinianei, quae apud fratres *Sennetonios Lugduni ab a.* 1549—50. *Voll. V. Fol.* prodiit, ibique deprehenditur uolumine quinto Institutionibus subiecta, nouo quidem titulo haud ornata, attamen non currentibus, quod aiunt, paginis, sed a prima incipientibus, hoc elogio instructa:

Corpus Legum per modum Institutionum, ab incerto authore in compendium redactum, ex uetustissima Bi-

---

c) *Miscellaneorum ad ius pertinentium Specim. II. Lips.* 1785. *cap. VII.*

*) *Scribi debebat* Iustini.

bliotheca, ubi diutius latuerat, nuper inuentum quod in studiosorum iurisprudentie gratiam et utilitatem in lucem nunc emissum est.

adeoque eodem fere titulo ac Louaniensis. Emissum autem est hoc Corpus, uti constat ex praefatione ultimo folio Institutionum inscripta, *Lugduni* 1548, uel si primo Institutionum folio credimus *a.* 1549; quae diuersitas ita conciliari posse uidetur, ut illo anno typis excusae sint Institut. hoc demum publici iuris factae. Haec igitur princeps omnium, quae hucdum innotuerunt, editio esse uidetur, id quod ex ipsa quoque Praefatione patescit, in qua dicitur, *nunc primum ex carioso exemplari in publicum exire.* Idem in Praefatione Institutionum sic effertur: *D. Justiniani Imp. Institutiones, quasi cumulatioris fructus futuri primitias nunc proferimus, una cum libro nunquam antehac excuso epitomen iuris complectente, et compendiariae institutionum formae ac materiae non absimili ut indicat etiam operis ipsa inscriptio haec Corpus Legum per modum Institutionum.* Et in titulo Instit. haec inter alia habentur: *Accessit Corpus Legum nunc primum, et nunquam antehac editum.* Adiectae conspiciuntur passim in margine notulae auctoris nomine non addito, reuera autem Prateii, ut non inuerecunda coniectio sit, eundem Uirum doctum curasse totius Corporis iuris Sennetonianam editionem. Ceterum si contextum ipsum spectes, in multis ille abit a Senckenbergiano, sed uariae illae lectiones eius sunt momenti, ut non debeat non unumquemque patientiae in conferendo collocandae poenitere, praesertim cum totus libellus non uideatur multum utilitatis cuiquam allaturus. Quum tamen unam alteramue horam conferendo olim perdiderim, quoniam suspicio inde oriri potest, quae in subsequentibus editionibus reperiuntur lectiones ex alio MS. libro enatas esse, et quo alii a frustraneo labore absterreantur, uariae lectionis, omissis plane inutilibus, aliquot specimina dabimus. *Libro* igitur *primo cap.* 1. §. 2., sequor autem nouissimam, loco: *uoluntas suum cuique* Sennetonii recte habent: *ius suum unicuique.* Mox *cap.* 2. §. 1. male exhibent *filiorumque* in uicem *liberorumque,* ita quoque *cap.* 3. §. 3. loco *in liberorum* pessime *in li-*

bertorum legitur. *cap.* 9. §. 3. Sennetonii *secundis nuptiis se intestauit* produnt, cum alii habeant *infectauit.* Et illud quidem nihili est. Ex corrupto tamen uocabulo quilibet facile coniiciet legendum esse *incestauit*, quo uerbo passim non iuris tantum conditores utuntur [d]), uerum alii quoque scriptores. Uox *infectare* est uox maxime barbara et aliena ab hoc auctore, qui sic satis eleganter loquitur. *cap.* 10. §. 6. a Senneton. integra uerba: *minor enim natu maiorem adoptare non potest*, exulant. *cap.* 11. §. 5. Uerba: *ea ita demum* plenius nostri enunciant: *Hac autem capitis deminutione ita demum. cap.* 14. §. 1. absunt: *Sed nec magistratus — uacare debent.*

Sed satis est nugarum, et uel ex his constabit, ex hoc fonte non nisi turbidos riuulos duci posse, ac quidquid sit uariarum lectionum, id fere deberi ignorantiae insipientis scribae aut typothetae, uel carioso et manco MSto. Quorsum autem haec omnia? Scilicet dicamus Prateium et Sennetonios furtum in Louaniensi fecisse, aut huius editorem in Sennetoniana? an uero utraque antiquiorem extare, ex qua ambo mutuum sumserint? Sed non puto. Interim nihil definio, sed iudicium aliis relinquens, solemne illud *non liquet* et amplius deliberandum pronuncio.

Altera dubitatio ex persona *Apelli* eiusque *Dialogo* originem trahit. Narrat Saxe V. Cl. eum in Academia Louaniensi iussu Caroli V. Imper. iuris ciuilis Romani litteras docuisse, idque argumento ipsius Dialogi. Rem non nego, sed fateor suspectum mihi fieri illum librum. Nihil enim de hac re alii, quin Apellum narrant Norimbergae 1486 natum, eodemque loco 1536 mortuum iuris antecessorem *Witenbergensem* fuisse [e]). Quodsi uerum est, eum a. 1536 e uiuis decessisse, ea res poterit ad detegendum uerum quam maxime idonea esse. Aut enim ille uiuus Isagogen suam in publicum emisit, aut post mortem ab aliis demum edita est. Sin uiuus adeoque ante a. 1536.; quare eum fraudis arguamus causa nulla est; neque enim sibi ipsi

---

d) u. gr. *cap.* 3. *Cod. Theod. de sepulcro uiol.*

e) *Vid. Jöchers Gelehrten-Lexicon h. u.* et *Adelungs Fortsetzung zu Jöchers Gelehrten-Lexico h. u. ibique laudati.*

contrarius est, quando refert, Brachylogum sibi *apud mare Balticum et sinum Codanum in bibliotheca quadam corrosum et pulueribus bene obsitum repertum esse.* In culpa tunc erunt et mendacio Sennetonii et Louaniensis, impudentissimum mimum agentes. Sin uero Apellus uiuus nihil dedit, Sennetonii autem primi Brachylogum dederunt, rursus nihil obstabit, quominus eorum uerbis fidem adhibeamus et Apellum fraudis absoluamus. Solus typographus Louaniensis reus erit, qui, quo uendibilior merx euaderet, Dialogo Apeliano adiecerit Brachylogum desumtum ex Sennetoniana, et in Dialogo quaedam calumnia ueri imperite mutauerit et adiecerit proprio motu. Hoc certe in his tenebris ex disputatiuncula nostra recte nobis colligere uidemur, omnes tres neque accusari uere, neque absolui posse; unum Louaniensem insontem non esse, esse uero aut Apellum aut Sennetonios. Illud porro efficietur, ut, si aut hi, aut ille culpae expertes sint, Brachylogus uere ex antiquo Codice manauerit, quoniam quilibet bonus praesumitur et fidem meretur, nisi contrarium probetur, atque ut hic partus non obscuri cuiusdam ICti saeculi XVI. sit. Tantum uolui. Neque enim, qui uires meas bene noui, hoc mihi sumserim, ut uel auctorem, uel aetatem libelli me definire posse putem. Felicioribus aliquid relinquendum est ingeniis et temporibus, iis praesertim, quibus decusso bibliothecarum puluere, tandem aliquando latentes inter carbones thesauri in lucem publicam protrahentur.

Praeter has sex editiones, septima quoque, recentior quidem sed non minus incognita extat, adiecta Corpori iuris quod ex officina *Hugonis a Porta Lugduni* 1575 forma maiori prodiit, Volumine *V.* p. 499. *sqq.* Plane illa effecta est ad editionem Sennetonianam, nisi quod nomen *Prateii* hic in fronte statim offenditur.

Superpondii uice addam, utroque loco exhiberi Institutiones Gaii, quas quidem editiones, quantum ego scio, neque Schultingius, neque Meermannus, aut Bachius, aut alius quisquam memoriae prodidit. Sed quantum quidem ex perfunctoria collatione sensi, nihil aut parum a MSS. libris traxerunt, quare deterritus a studiosiori inspectione consulto abstinui.

XIII. I. L. E. PÜTTMANNI MISCELLANEORUM CAPVT VII. *

Quod haud raro fieri videmus, vt viri docti, nubem pro Iunone amplectentes, scriptis quibusdam, de quorum auctoribus haud satis constat, quibusque obstetricantes praebuerunt manus, nimis magnum statuant pretium, et vel ipsa, quam fingunt, antiquitate iisdem auctoritatem conciliare studeant, idem, ni fallor, accidit R. C. SENCKENBERGIO, cum *an.* 1743. librum hoc titulo: [Cf. INDEX EDITT. Num. XXI.] insignitum *(Franc. et Lips. in* 4.*)* ederet. Scribit enim in *praef.* §. 9. *et* 21. hoc σύστημα IVSTINI II. Imp. minimum aetate conscriptum videri, pluraque in eo, quam in ipso iuris Rom. corpore, inueniri, quod nemo inficias iuerit, qui *Lib.* I. *Tit.* 9. *Sect.* 2. §. 4. inspicere voluerit, totiusque iuris romani processum *Lib.* IV. delineatum considerauerit.

Enimuero, quod ad aetatem huius libelli attinet, aliter iudicare nuper nos docuit CHRIST. SAXIVS in *Onomast. litterar. P. II. pag.* 537. vbi de brachylogo illo haud vulgaria litteris consignauit. Postquam scilicet in editionem eius antiquiorem, SENCKENBERGIO, vt hic ipse in *praef.* §. 4. fatetur, haud visam, incidit, eiusmodi deprehendit notas, vt iam alia omnia, ac SENCKENBERGIVS persuadere nobis conatus est, sentire necesse habeamus. Primo enim titulus libri ita habet: [Cf. INDEX EDITT. Num. II.]
Deinde editor anonymus in praef. quidem scribit, e Gallia ad se peruenisse, quod iam daret, totius iuris ciuilis com-

*) Püttmanni miscellaneorum liber singularis Lipsiae MDCCXCIII. 8°. prodiit. Caput VII., cui inscripsit auctor „*De Brachylogo iuris ciuilis, a Senckenbergio quondam edito, nonnulla vulgo haud obuia.*“ pagg. 28... 36. occupat. Titulos editionum libri nostri, quos Püttmannus exscripsit, ut et locum ex Apelli dialogo cum praefatione Pesnotiana omisi, quippe quas res accuratius aliis locis exhibuerim. Totam Püttmanni disputationem omitterem, nisi leves quoque atque per se nullius pretii disputatiunculae ad historiam litterariam facerent.

pendium, s. prima potius elementa, addens, hunc libellum non recentioris, sed vetusti alicuius auctoris, qui haud admodum diu post Ivstiniani tempora vixerit, partum videri. Mox autem in dialogo legum corpori adiecto personae colloquentes (Svlpitivs et Albericvs) eiusmodi proponunt res, vt, nisi quis plane coecus sit, non possit non continuo fraudem fucumque ab editore factum deprehendere. En ipsas, quae narrantur, fabulas!

Vt haec ... [vid. pag. XIII...XV. supra] ... *hodie.* Quis quaeso haec legens vetus illud *pergula pictorum!* haud repetat? Adeone, apelle, stultus et fatuus eras, vt tui immemor quasi sorex te proderes, ipseque manifestas mendacii notas posteris relinqueres? Verissime Saxivs *l. c. p.* 538. *Quis singulares huius libri casus aut narrationis ludibria non miretur? Quis litterariae huius mercis, quantumuis praeclarae, fucum non agnoscat?* Modo scilicet hoc legum corpus Iustiniani aetati proximum, modo Lotharii Imp. tempore conscriptum, modo e Francia ad Louanienses translatum, modo e Bibliotheca aliqua mari Baltico vicina aduectum esse dicitur.

Vbi vero iam venditata illa a Senckenbergio istius libri antiquitas? Vereor sane, ne in fumum abeat, quidquid vir magnus de aetate, pariter ac auctoritate brachylogi sui in medium protulit.

Quodsi porro, plurane hoc in libro, ac in ipso iuris Rom. corpore reperiantur, inuestigemus, itidem rem aliter, ac Senckenbergivs nobis persuasum iuit, habere deprehendemus. Locus, quo nititur, *p.* 22. *sq.* ita comparatus est: *Iure ciuili non cogniti sunt hi, quorum parentes iustas inter se nuptias contraxisse potuerunt. Hi etiam ciuiles fieri possunt, si vel curiae donentur, vel post natiuitatem eorum inter parentes aliquo tempore dotalia instrumenta conficiantur, vel super his preces Imperatori porrigantur et princeps suam interponat auctoritatem,* (iam sequuntur verba, in quibus cardo rei vertitur,) *vel si in testamento vt legitimos heredes instituerit, vel si matrem eorum, vsque quo die defunctus est, in contubernio habuerit.* Nae autem magnopere fallitur, qui hic noui verique aliquid deprehendere opinatur.

Ait compilator: *vel in testamento vt legitimos heredes instituerit.* In animo, ni fallor, hic habuit legitimationem, quam vocant, per testamentum, cuius etiam HEINECCIVS *Inst.* §. 168. meminit. Neque vero singularis hic legitimandi modus, sed legitimationis potius per rescriptum principis species est, vt iam monuit GEO. IORDENS in *diss. I. de legitimat. cap.* 8. (in FELLENBERG. *Iurispr. antiqu. Tom. II. p.* 390.) *Legitimationis,* inquiens, *per rescriptum principis auctor Iustinianus sanciuit, vt liberi naturales a Principe per rescriptum legitimarentur, si vel pater Principi supplex factus fuerit, vel ipsi naturales patre in testamento iubente Imperatorem rogauerint, vt ipsos per rescriptum iure legitimorum natalium donaret, Nou.* 74. *cap.* 1. *et* 2. *Nou.* 89. *cap.* 9. *et* 10. *sic vt duplex per rescriptum legitimatio sit, vna ad petitionem patris, altera ad supplicationem liberorum patris voluntate firmatam.*

Pergit auctor brachylogi: *vel si matrem eorum, vsque quo die defunctus est, in contubernio habuerit.* Equidem nec hic noui aliquid cerno, sed momentum duntaxat, ex quo, nuptias subsecutas esse, colligi posse auctor anonymus existimauit, deprehendere mihi videor. Etsi enim nonnulli ad legitimationem per subsequens matrimon. instrumentorum dotalium confectionem simpliciter requirunt, e. g. G. C. GEBAVER in *Excurs. IV. Ord. Inst. subiect.* et (quem modo laudaui) GEO. IORDENS in *diss. II. de legitimat. l. c. p.* 431. nec desunt tamen, qui instrumenta dotalia ad signum quidem, nequaquam autem ad naturam (essentiam) nuptiarum pertinere censeant, qua in sententia praeter alios sunt FRANC. BROEVS ad *cap. fin. I. de nupt.* et HEINECCIVS *l. c.* §. 148. Facit etiam huc *l.* 22. *C. de nupt.* vbi IMPP. *Si donationem ante nuptias vel dotis instrumenta defuerint, pompa etiam aliaque nuptiarum celebritas omittatur, nullus existimet, ob id deesse recte alias inito matrimonio firmitatem, vel ex eo natis liberis iura posse legitimorum auferri, inter pares honestate personas nulla lege impediente consortium, quod ipsorum consensu atque amicorum fide firmatur;* quod cum nullibi diserte sublatum sit, cur stare prohibeatur? Conf. C.

V. GRVPEN *Tract. de Vxor. Rom. cap. VII.* §. 5. [a]) Quid igitur mirum, si auctor brachylogi ex eo, quod quis liberorum suorum matrem vsque ad mortem in contubernio retinuit, colligi posse putauit, eum hoc affectione maritali fecisse, feminamque tam constanter retentam vxoris loco habuisse?

Quantum denique ad ordinem processus, *Libr. IV. brachylogi* digestum, ille aut regulis in ipso iuris Rom. corpore propositis consentaneus est, aut ab iis recedit. Priore in specie haud sane est, quod auctori brachylogi aliquid noui acceptum ferre debeamus: posteriore autem, quidquid a regulis iuris deflectit, errori potius, quam beneficio auctoris tribuendum esse censemus. Quid igitur, nulliusne brachylogus a SENCKENBERGIO editus momenti est? Caue dixeris. Est sane liber nec infructuosus, nec inelegans. Id quidem SENCKENBERGIO lubentissime largimur. Hoc autem ferre non possumus, quod nimis illum fecit antiquum, in eoque res in iuris Rom. corpore frustra quaerendas inueniri, persuadere nobis sustinuit. Verissime LVCILIVS:

Virtus est homini, scire id, quod quaeque habeat res,
Quae bona, quae mala. — —

Haec octo circiter abhinc annis scripsimus. Nuper in manus nostras venit A. G. CRAMERI *dispunct. iur. ciu. liber singularis, Suerini et Wismariae* anno proxime superiore in lucem editus. Eo in libro *cap.* 12. vir doctissimus nonnulla, vt ait, ab aliis praetermissa de Brachylogo in medium protulit, monens, eundem iam legi in editione corporis iuris, quae *Lugduni* apud SENNETONIOS fratres *an.* 1549. *sq. Vol, V.* forma maxima in publicum prodiit, ibique *Vol. Vto.* Institutionibus subiectum inueniri, ita inscriptum: [Cf. INDEX EDITT. Num. I. et supra pag. LXIII.] Cum hanc corporis iuris editionem in praecipuis huius vr-

---

a) Praeter alios nobiscum sentit CORN. VAN ECK *Thes. iur. contr.* §. 33. *sq. Ad legitimationem*, inquiens, *per subsequ. matrimon. sufficit etiam matrimonium in articulo mortis contractum, nec ad illam desiderantur tabulae nuptiales, s. instrumenta dotalia, arg. l. 4. D. de fid. instr.: l. 9. C. de nupt. et l. 11. pr. C. de repud.*

bis bibliothecis frustra quaesiuerim, eiusque inspiciendae copia mihi haud fuerit, CRAMERO ea in re fidem adhibere non dubito. Enimuero nec hanc, quam fratribus SENNETONIIS debemus, brachylogi editionem principem esse, iure colligere mihi videor ex editione Isagoges APELLI, iamiam *an.* 1543. *Lugduni* typis excusa hoc titulo:

Isagoge per dialogum in IV. Lib. Institutionum, Diui Iustiniani, Auctore Ioanne Apello, Norimbergensi, iuris utriusque doctore, Lugduni 1543.

quippe in qua eadem leguntur verba, quae modo (pag. [LXVIII.]) adscripsimus. Idem brachylogus etiam prodiit *an.* 1553. cura LVD. PESNOTII, hoc insignitus titulo: [Cf. INDEX EDITT. Num. III.] In epistola ad CLAVDIVM GVSTANVM, apud Senonas Gallos Praetorem quondam vrbanum, cui PESNOTIVS hunc librum inscripsit, ipse diserte fatetur, sese eundem a CLAVDIO GVSTANO edendum accepisse. En ipsa PESNOTII verba:

Nobilium ... [cf. supra pag. XXIII...XXV. lin. 6.]... *incommodum*, —

cumque ita PESNOTIVS aetatem, qua brachylogus primum consarcinatus fuerit definire nequeat, ipseque APELLVS, eum demum LOTHARII SAX. tempore (sec. scilicet XII.) compilatum fuisse, auctor sit, manet sane, quod pag. [LXVIII.] scripsimus, in fumum scilicet abire, quidquid SENCKENBERGIVS [b]) de aetate pariter ac auctoritate brachylogi sui in medium protulit.

XIV. I. A. BACH ET A. C. STOCKMANN DE BRACHYLOGO. *

Paullo post Iustinianum fuisse putatur incertus ille ICtus, qui *Brachylogum Legum*, veluti compendium, siue epito-

---

b) Cui frustra adsentit H. G. v. VRYHOF in *in Obs. iur. ciu. p.* 106.

*) Ex Io. Aug. Bachii historia iurispr. Romanae. Edit. sexta [*s. potius* quinta]. observationibus auxit Aug. Corn. Stockmann, Lips. I. A. Barth. cIↄIↄcccVI. 8. Locus, quem dedimus, est §. XX. Lib. IV. cap. 1. pag. 634. et 635.

men iuris Iustinianei, latine, et pro istis temporibus eleganter, scripsit*): editus is liber est cum doctis obseruationibus nuper ab Henr. Christ. Senckenbergio y.

*) De aetate huius libelli, caeteroquin vtilissimi, alia omnia iam constant, diuersa prorsus ab iis, quae Senckenbergius litteris consignauit. Primum enim *Christ. Saxius Onomast. litterar. Part. II. p. 537.* editionis antiquissimae, ipsi Senkenbergio non cognitae, titulum hunc profert: *Corpus Legum per modum institutionum ab incerto auctore in compendium redactum, ex vetustissima bibliotheca, vbi diutius latuerat, nuper inuentum, breuibusque annotationibus illustratum*, Lovanii 1651. * 8. Deinde *Aug. Gul. Cramerus* V. C. *Dispunct. iur. ciu.* Suerini et Wismar. 1792. 8. *Cap. XII. p.* 96. *sqq.* scribit, Brachylogum istum *Corpori Iuris, Lugd.* 1549. *fol.* edito, *Vol. V.* subiectum inveniri. Nouissime tandem principem Brachylogi editionem in *Io. Apelli*, qui eum Lotharii Sax. adeoque saeculo XII. compilatum esse contendit, *Isagoge Institutionum*, Lugduni 1543. et 1553. 8. typis iam excusum esse obseruauit *Püttmannus Miscellan. Cap. VII. p.* 28. *seqq.* cf. *Allgemeiner litterarischer Anzeiger vom Jahre* 1798. *num.* 120†*et* 121.

y) [Inscribitur: *Brachylogus Iuris Ciuilis*, siue, *Corpus Legum paullo post Iustinianum conscriptum*, cum notis Lud. Pesnoti, Pard. Prateii et Nic. Reusneri edidit et emendauit *Henr. Christ. Senckenberg*, Francof. et Lips. 1743. 4.] vbi [et de antiquioribus huius libri editionibus, Lugdunensibus et Francofurtana,] et de auctoris aetate in praefamine docte disputat *Senckenbergius*, [qui quidem librum saeculo sexto conscriptum esse existimat, cum *Christoph. Saxius l. c.* saeculo decimo sexto demum id factum esse contendat.]

XV. PHILIPPI FRIDERICI WEIS
DE AETATE BRACHYLOGI OBSERVATIO. *

De aetate libelli, qui nomine brachylogi iuris civilis circumfertur, non vna est doctorum virorum sententia. SENCKENBERGIVS nimio amore partus a se editi abreptus eo

*) [1551.]

†) [nihil hoc folium 120. ad rem nostram.]

*) Praemissa est elegans haec observatio „Indicibus lectionum...

audaciae processit, vt brachylogum seculo post Christum natum sexto vindicaret. Sed dici vix potest, quam iejuna sint argumenta, quibus eam in rem vtitur. Neque animus neque otium est, omnia persequi, sed vnum tantum proferam, ex quo de reliquis iudicium ferent lectores nostri. SENCKENBERGIVS sibi persuadet, auctorem brachylogi ante illud tempus scripsisse, quo 140 novella constitutio, qua IVSTINVS, IVSTINIANI successor, conjugibus a se invicem *mutuo consensu* divertere permisit, publici iuris facta, quod nihil huius constitutionis inter caussas divortii libello suo inseruerit. Quae argumentandi ratio si recte procedit, auctorem brachylogi IVSTINIANO συγχρονον post institutiones imperiales editas et ante novellam constitutionem 119 manuale suum literis mandasse, nullo negotio probare possumus. Iuris observationem, a Iustiniano *l.* 29. *C. de testament.* stabilitam, et §. 4. *I. de testam. ordin.* confirmatam, qua, testator scriptum testamentum ordinaturus nomen heredis *sua manu* exprimat, necesse est, imperator demum novella constitutione 119 relaxavit. Auctor brachylogi autem non novissimam IVSTINIANI voluntatem, sed eam, quae institutionibus continetur, in enchiridio suo (lib. 2. c. 19. §. 3.) proposuit verbis: „*In hoc testamento con*„*dendo septem testes adhiberi debent* — nomenque etiam heredis propria manu testatoris — exprimi oportet.“ Quam parum roboris huic argumentandi rationi insit, patet ex eo, quod idem auctor ex eadem novella 119 alius doctrinae principium in manuale suum receperit. *Iustinianus* cum

---

in academia Marburgensi per semestre hybernum anni MDCCCVIII. habendarum. Marburgi ex offic. Kriegeriana. 4. Weisius Academiae Marburgensis prorector eo ipso anno fuit, qui vitae viri ultimus exstitit. mortuus est a. d. IX. Kalend. Decembr., cum nondum annos XLIII vixisset. Digna tanti viri ingenio scriptione vitam Weisii delineavit v. cl. Ludov. Wachler in „Jenaische allgem. Literatur-Zeitung vom Jahre 1809. 4. Intelligenzblatt 18. Jan. col. 41...46.“ Savinius autem, praeceptor meus, quem quanti faciam verbis enuntiare nescio, eidem Weisio, praeceptori suo dilectissimo, aere perennius monimentum consecravit praefatione, quam praemisit libro „Gesch. des R. R. im Mittelalter. vol. I.“

§. 7. *I. qui et ex quibus causs. manumitt.* maiori XVII. annorum ius servorum testamento manumittendorum concessisset, demum nov. 119 cuivis puberi idem facere permisit. Atqui brachylogi compilator (lib. 1. c. 6.) postremam Iustiniani sanctionem his verbis expressit: *Item impubes manumittere non potest.* — Caeterum satis constat, capitulare Ludovici pii e legibus Langobardorum in brachylogo l. 4. c. 3. §. 12. adduci ([a]). Quis itaque serio affirmabit, libellum ante seculum nonum scriptum fuisse? Certe SENCKENBERGIVS ferendus non est, qui insigni temeritate, omnibus editionibus refragantibus, illum § adscribit interpolanti glossographo.

Longe alia mens de aetate libelli est CHRISTOPHORO SAXIO (in onom. liter. P. 2. p. 537.) Ast vereor, ne vir celeberrimus, dum Senckenbergianam Charybdin evitavit, in Scyllam inciderit. Quum SAXII sententiam amplexi sint iurisconsulti magni nominis, inter quos PÜTTMANNVM (*b*), et literatissimum *anonymum* (*c*), mihi tamen non incognitum, nominasse sufficiat, operae pretium me facturum existimavi, si paullo diligentius SAXII rationes, quibus brachylogi auctorem seculo decimo sexto vixisse contendit, sub censuram vocaverim. Audiamus SAXIVM ipsum:

Primaria...[vid. supra pag. LIX...LXI.]... *Hist. iurispr.* rel. Quae vt plenius et rectius intelligantur, ante omnia duae observationes praemittendae sunt. I. Lovaniensis editio brachylogi neutiquam princeps est, vt iam bene observavit CRAMER V. C. (*d*): ea potius omnium prima videtur, quae vt institutionum iustinianearum appendix vna cum reliquis partibus iuris civilis *Lugduni apud Sennetonios fratres* a. 1549. forma maxima in lucem prodiit (*e*). PÜTTMANNVS quidem (l. l.) nec hanc sennetonianam editionem princi-

---

(*a*) Legitur capitul. ap. GEORGISCH in corp. iur. german. antiq. p. 1103.

(*b*) in miscellan. c. VII.

(*c*) in allgem. literar. Anzeiger B. 3. p. 1217.

(*d*) in dispunct. iur. civil. p. 94.

(*e*) Accurate, vt solet, editionem describit cel. CRAMER l. c.

pem esse inde colligit, quod isagoge Apelli iam ante annum 1549 typis excusa sit. Ego vero vim argumenti non perspicio, nisi prius probaveris, brachylogum ita esse cum isagoge illa Apelli coniunctum, ut divelli non possit. Editionem *Lovaniensem*, certe paucis visam, mecum communicavit Jo. CHRISTOPH. KOENIG, illustris in academia Altorfina antecessor. Titulum recte exscripsit SAXIUS, nisi quod post verbum „Lovanii", in exemplari, quo utor, haec legantur: „*Ex officina Bartholomei Gravii* 1551. *Cum Gratia et Privilegio C. M.*" Martini Rotarii neque in titulo neque in calce editionis mentio fit, sed tantum in privilegio caesareo Bruxel. a. MDLI, 7. Sept. dato, quod titulum sequitur. Privilegium excipit typographi ad lectorem praefatio, cui subscriptum: Lovanii sexto Idus Octobris a. MDLI, atque adhaeret index opusculi. Deinde brachylogus a pag. 1. usque ad 119. legitur, reliquas paginas a 120 usque ad 181 isagoge apelliana implet. II. *Apelli isagogen* iam ante annum 1551. in lucem prodiisse, recte observat PÜTTMANNVS l. c. editionis lugdunensis a. 1543. typis exscriptae mentionem faciens. Atque haec editio *Lugdunensis* sine dubio princeps est, demum post mortem auctoris, qui a. 1536. ad plures abiit, prelo commissa. Nobis quidem hanc editionem inspicere non licuit, vtimur autem alia, quae *Coloniae apud Joann. Birckmannum et Wernerum Richwinum* anno 1564. forma minima prodiit. (*f*). Ex epistola praemissa, a *Joanne Langio* ad *Andream Vinclerum* data, quae in editione *Lovaniensi*, qua SAXIVS vsus est, haud exstat, patet, APELLI libellum ante annum 1543 excusum non fuisse. Isagoge ab APELLO confecta est post a. 1525, id, quod ex loco a SAXIO adducto, quo Alberti, marchionis brandenburgici, mentio fit, facile intelligitur (*g*). Caeterum a vero abhorret, quod SAXE asse-

(*f*) de qua an exstet immerito dubitatur in liter. Anzeig. l. c. p. 1222. Titulus a librariis in hunc modum depravatus est: „Qua ratione ac methodo institutionum libri IIII Divi Iustiniani Imperatoris legi debeant, eleganter ac concinne in dialogos redacti, per Ioannem Apellum Norimbergen. Iuris utriusque Doctorem."

(*g*) cf. VENATOR. histor. Bericht von dem Marianisch Teutschen

rit, Apellum in academia Lovaniensi iussu CAROLI V. imperatoris ius romanum docuisse. Nihil ea de re legitur apud scriptores, qui vitam APELLI memoriae prodiderunt (*h*), et quid probet locus e dialogo a SAXIO adductus, ego certe divinare non possum, neque, puto, poterit alius, nisi ipse Saxii sententiam, alta mente repositam, loco intulerit. Verba APELLI haec sunt: *Fateor neque ignoro aequiori laturum animo Galliarum regem, si Mediolanum amiserit, quam istos professores, si amittant veterem illum suum praelegendi modum. — Quod si hanc provinciam tenuitati meae demandaret Carolus V., vt ea in re adolescentiae studiis prospicerem, iuberem*, etc. Me non monente intelligetis, Lectores, tantum abesse, vt APELLVS de provincia docendi, quae ipsi in academia *Lovaniensi* obtigerit, loquatur, vt de vllo munere docendi ipsi *demandato* ne mentionem quidem faciat.

His praemissis iam rem ipsam aggredior. Igitur in ea opinione est SAXIVS, ut putet, Io. APELLVM ipsum esse auctorem brachylogi, quod hic liber modo JVSTINIANI aetati proximum, modo LOTHARII Saxonis imperatoris tempore, adeoque seculo XII. conscriptum, modo e Francia ad Lovanienses translatum, modo denique e bibliotheca mari baltico vicina advectum dicatur, ita, vt quilibet literariae huius mercis fucum agnoscat. Quae ratiocinatio ita probata PÜTTMANNO, vt commoto et perturbato animo haec in Apellum dixerit: „*Quis quaeso haec legens vetus illud:*

Ritterorden p. 234. — Obiter noto, isagogen confundendam non esse cum alio eiusdem auctoris libello, cui titulus: *Methodica dialectices ratio ad iurisprudentiam accommodata* — Norimbergae *apud Fridericum Peypus MDXXXV.* 4. Vtrumque APELLI libellum iunctim edidit SCHEFFER, nonnullis tamen detractis et ordine immutato, sub rubro: *Joan. Apelli tyrocinia iuris distinctionibus repetita per Joan. Reich. Schefferum. Basileae per Sebastian. Henricpetri.* In calce adnotatus est a. MDXXC.

(*h*) cf. praeter scripta JOECHERI, ADELVNGII, WILLII satis nota praecipue *d. allgem. litt. Anzeiger* l. c., vbi tamen error SAXII, quod miror, notatus non est.

„pergula pictorum! *haud repetat? Adeone, Apelle, stultus* „*et fatuus eras, vt tui immemor quasi sorex te proderes,* „*ipseque manifestas mendacii notas posteris relinqueres?*" Bona verba quaeso! An liceat verba Apelli et typographi Lovaniensis ita conjungere, ut quasi vno ore prolata videantur, postea dicemus. Iam liberales simus et demus licentiam, cum ne sic quidem Saxii caussa defendi queat, quod hac ratione lectoribus probabo. Si quis nobis narraverit, libellum quendam non diu post Iustiniani tempora confectum videri, libelli huius codicem manuscriptum seculi XII. in bibliotheca mari baltico vicina esse repertum, nuper eundem libellum lugdunenses typographos prelo commisisse, et, cum editionis lugdunensis exemplar ad Lovanienses translatum fuisset, Lovanii novam editionem esse adornatam, an fatuum dices et incredibilia effutientem? Librarius Lovaniensis nusquam, *primum* se brachylogum edere aut e codice manuscripto dicit, et, cum in praefatione ait: *commodum* ex Gallia *in manus nostras incidit, quod nunc damus totius iuris civilis compendium*, rationem scire velim, cur haec verba de editione lugdunensi intelligi non possint? Nobis itaque omnia satis cohaerere et sibi constare videntur, vt miremur, quod Püttmannvs die nocteque legum conciliationi deditus, Apellum cum typographo Lovaniensi in concordiam vocare nesciverit. At licentia illa danda plane non est. Non coniungenda sed separanda sunt Apelli et librarii verba. Coniunctioni argumentum, ex eo, quod in editione lovaniensi brachylogus et isagoge vno volumine contineantur, petitum, non inservit, et id, quod Apellus de codice ad mare balticum reperto habet, suadet separationem. De vtroque amplius disserendum. Saxivs Apello brachylogum nunquam tribuerat, nisi ei isagogen in editione lovaniensi adiectam invenisset. Unde autem haec adiectio profecta? an ab Apello? Hic vir, cum isagogen componeret, ne augurari quidem poterat, futurum, vt aliquando brachylogus vel solus vel vna cum isagoga typis excudatur. Tria lustra post Apelli mortem transierant antequam editio illa lovaniensis prodiit. Debetur illa adiunctio typographo soli, qui ipse in praefatione ingenue profitetur, se, cum editioni brachylogi pene su-

prema manus fuisset imposita, vidissetque, compendium illud in tantam non excrevisse molem, quin ei commode possit adiungi alius libellus, curasse, vt isagoge apelliana adjiceretur. An ex tam fortuita accessione iustum de auctore brachylogi ferri potest iudicium? Argumentum inde ductum sane ei non absimile est, quo regulas Vlpiani ab Aniani manu nobis superesse nonnulli existimarunt, quod eas breviario Alariciano in manuscriptis codicibus adiectas fuisse legissent. Si quidquam aliud admonitio certe typographi SAXIVM adducere debuit, vt isagogen appellianam accuratius inspiciendo locum investigaret, vbi auctor illum enchiridii iuris romani codicem, Lotharii temporibus manu exaratum, descripsit. Apellus de hoc codice haec habet (*i*): *Primus* [vid. supra pag. XIV. lin. 2.... lin. 14.]... *liber quartus erat*". Quod si hanc descriptionem cum libello nostro contuleris, facile intelliges, esse quidem nonnulla, quae brachylogus cum enchiridio illo communia habeat, neque tamen per omnia descriptionem brachylogo, qualem hodie habemus, convenire. Sic ea, quae de initio libri tertii et quarti dicta sunt, eadem ratione et in brachylogo inveniuntur, at tituli: *de donationibus et quibus modis tollitur obligatio*, in omnibus quotquot exstant editionibus alium locum obtinent. Quid igitur est? Responsio adeo difficilis non videtur. Codex manuscriptus enim, de quo Apellus loquitur, vel erat opusculum a brachylogo plane diversum, vel continebat quidem brachylogum sed non talem, qualem typis excusum habemus. Quae cum ita sint, absonum est, id, quod Apellus de fatis codicis manuscripti nondum editi narrat, ad brachylogum, quo hodie vtimur, transferri. Corruit itaque SAXII de auctore libelli opinio, neque vlla ratio idonea reddi potest, ob quam, Sennetonios fratres, qui in editione principe, opusculum *nunc primum ex carioso exemplari in publicum exire*, testantur (*k*), lectoribus fucum fecisse existimemus.

(*i*) pag. 155 edit. lovaniens.

(*k*) cel. CRAMER l. l. p. 96. Idem repetitur in privilegio impressorio tribus fratribus Sennetoniis d. 12. Septemb. MDXXXXVIII, concesso his verbis: „Aussi Corpus legum, qui anciennement

Haec ante plures annos adversus SAXIVM in adversariis adnotavi, breviter tamen, vt fieri solet. Nuper perill. DE SAVIGNY, vir iuvandis bonis literis natus, mihi nuntiavit, se in bibliotheca caesarea Vindobonensi manuscriptum brachylogi codicem reperisse, qui seculum XVI. longe superaret. Argumentum, quod mihi exinde adversus SAXIVM nascitur, in eorum numero est, quibus nodus uno ictu disrumpitur.

Sed, inquient lectores, si libellus, de quo agitur, neque seculo VI. neque XVI. adscribendus, quodnam aliud ei assignas? Alio tempore dicam **), lectores humanissimi, nam haec praefatio iam iustos limites egressa est.

„à esté extraict du propre text des loix, qui ne fut oncques „imprimé.“

**) Acerbum historia iuris litteraria, immo omnis iurisprudentia damnum sensit praematuro auctoris funere, quod impedivit, quo minus promissis stare potuerit. Bonum factum, quod v. cl. Wachler, superiori nota *) laudatus, cum de scriptis beati viri tractaret, de re nostra haeca memoriae mandavit: „*De Brachylogi aetate observatio, die erste Hälfte einer* „*dem Lectionen-Verzeichnisse vom Winter* 1808. *vor-* „*gesetzten, Abhandlung, wozu die Auffindung eines Co-* „*dex aus dem* 13*ten Jahrhunderte in Wien durch* „*Savigny die nächste Veranlassung gab. Hier wer-* „*den nur Senkenberg's und Saxe's Meinungen von* „*dem Verfasser und Zeitalter des Brachylogus wider-* „*legt; in der zweyten Hälfte, welche als Programm bei* „*Niederlegung des Prorectorats gedruckt werden sollte,* „*würde dem* 13*ten Jahrhundert dieses, an sich unbe-* „*deutende, Product mit guten und haltbaren, theils* „*äusseren, theils inneren kritischen Gründen zugeeignet* „*worden seyn. Den Tag vor seinem Tod dachte der* „*Verf. ganz ernstlich an die Fortsetzung dieser litera-* „*rischen Untersuchung, und schrieb wirklich einige Zei-* „*len, überhaupt die letzten in seinem Leben, brach* „*aber bald ab, beruhigt durch Erinnerung an die lange* „*Zeit, welche bis zum Neujahr noch übrig sey.*“

XVI. ERN. SPANGENBERGII DE BRACHYLOGO DISPUTATIUNCULA.[a]

Der sogenannte Brachylogus, oder eigentlich **Corpus legum,** *ein systematisches Lehrbuch des Römischen Rechts, grösstentheils aus Stellen des* **Corpus juris** *compilirt, von einem ungenannten Verfasser. Ueber das Alter dieses, in so mancher Hinsicht empfehlungswerthen Werks, haben die sonderbarsten Meynungen geherrscht. Der neueste Herausgeber desselben, Heinrich Christian Senckenberg, setzte es in die Zeiten, kurz nach Justinian; Christoph Saxe dagegen, und andere, welche ihm blindlings folgten, behaupteten, durch den zufälligen Umstand, dass es einer Ausgabe von Johann Apel's* **isagoge in quatuor libros Institutionum,** *von* **1551,** *beygedruckt war, und durch die in diesem Buche enthaltene Aeusserung über die Handschrift am Balthischen Meere, womit allerdings wohl der Brachylogus gemeint war, verleitet, dass Joh. Apel selbst der Verfasser dieses Werks sey. Dass Letzterer nicht der Verfasser sein könne, ergeben mehrere Handschriften des* **corpus legum,** *aus dem zwölften oder dreizehnten Jahrhunderte; aber eben so wenig erlauben einige Stellen des Werks selbst, es in die Zeiten kurz nach Justinian zu versetzen. So heisst es z. B. Buch* **II.** *Cap.* **30. §. 3. Minuitur vel excluditur etiam Falcidia, si piis locis legata vel fideicommissa fuerint derelicta.** *Da sich nun die irrige Meynung von dem unbedingten Abzuge*[b] *der* **quarta Falcidia** *bey* **piis caussis** *bloss auf die Authentike* **ad const. 7. C. VI. 50. ad legem Falcidiam** *gründet, in der Novelle* **131.** *Cap.* **12.** *dagegen der Abzug nur unter einer Einschränkung als Ausnahme angeführt ist, so ist entweder die Authentike sehr alt, welches denn doch .... höchst unwahrscheinlich ist, oder*

---

a) *Einleitung in das Römisch-Iustinianeische Rechtsbuch, von Ernst Spangenberg. Hannover,* 1817. 8. *pagg.* 578. ...580.

b) *Abzuge?* **Hoc non capio.**

der Brachylogus nach der Authentike verfasst [c]. *Ferner wird im Buch* IV. *Cap.* 3. §. 12. *eine Stelle aus der* **Lex Lombarda,** *oder ein in derselben enthaltenes* **Capitulare** *Ludwig's des Frommen angeführt, was denn auch auf ein späteres Zeitalter deutet. Aller Wahrscheinlichkeit nach gehört also das Werk dem zwölften Jahrhunderte an, besonders, wenn die Authentike von Irnerius verfasst sein sollte.*

---

c) Si vera essent, quae v. cl. Spangenbergius hoc loco de Brachylogo disputavit, nihil dubitandum foret, quin liber ineunte duodecimo saeculo scriptus fuerit; sed quid suspicionem viro moverit ingenue fateor me plane non intelligere; nam in verbis dumtaxat differunt Brachylogi tit. 31. lib. II. ac Nov. CXXXI. cap. 12. Iuliani epit. CXIX. cap. 14. Auth. *Similiter Falcid.* Cod. ad leg. Falc. VI. 50.; quibus locis addidi Auth. *Similiter cessat* Inst. de L. Falc. II. 22. Brachylogus enim *Minuitur*, ait, *vel excluditur .. Falcidia..*; Nov. vero fusius casum tractat his (ex vulg. vers.) verbis „*Si.. heres quae ad pias causas relicta sunt non impleverit, dicens relictam sibi substantiam non sufficere ad ista, praecipimus omni Falcidia vacante*" *etc.* Distinctius Iulianus „*Si dixerit heres*, inquit, *substantiam a testatore derelictam ad impensas pias non sufficere, cessante lege Falcidia, ea quae relicta sunt, impendantur in illas causas quas testator voluit*" *etc.* Brevissime denique utraque Auth. rem explicat his verbis „*Similiter Falcidia cessat in his, quae ad pias causas relicta sunt.*" His omnibus locis equidem nihil expressum video, nisi quod ad pias causas relicta heres ex relicta sibi portione praestare debeat, vel si ea relictorum illorum quantitatem vix aut omnino non superet; ita ut Falcidia aut omnino aut ex parte cessare debeat. Aliis verbis dixerim Falcidiam primum deduci, tum legata praestari, nisi ea ad pias causas relicta fuerint; nam hoc casu post impleta eiusmodi legata Falcidiae demum rationem habendam esse. — Ceterum in eo quoque Spangenbergius parum accurate scripsit, quod omisit dicere Brachylogi auctorem Iuliani epitoma usum esse.

XVII. GUSTAVUS HUGO
DE BRACHYLOGO. [a]

Merkwürdig ist ... eine nachher ganz vergessene Umarbeitung der Institutionen in einem Werke, dem wahrscheinlich sein Verfasser keinen Namen gab, welches aber die Abschreiber wohl gar **Summa novellarum** *nannten, wofür denn die Herausgeber erst* **Corpus legum per modum institutionum 1549,** *dann auch* **Brachylogos 1553,** *und endlich auch* **Epitome institutionum 1570** *machten. Eine Stelle aus den Lombardischen Gesetzen, wenn sie echt ist, zuverlässiger aber der in manchen Stellen doch schon schlechte Sprachgebrauch, beweist, dass das Buch nicht bald nach Justinian, und Handschriften aus dem dreyzehnten Jahrhundert beweisen, dass es nicht erst von Joh. Apel verfasst sein kann, der zuerst davon sprach. Sonst passt aber freilich das Ganze eher zu einer frühern oder spätern bessern Zeit.*

a) *Lehrbuch der Geschichte des R. R. seit Justinian.* etc. ed. II. Berolini. 1818. 8. pag. 78. §. 68

NOTITIA LITTERARIA
DE BRACHYLOGO IURIS CIVILIS.

Cum iam in eo sim, ut de libri nostri auctore, aetate, fatisque — nam inter fata librorum est quot, quando qualesque transscriptores vel editores ac commentatores nacti sint — dicendum mihi sit, vix possum, quin illud Sarsinatis

„Nam fere maxuma
„Pars morem hunc homines habent: quod sibi volunt, dum id inpetrant,
„Boni sunt; sed id ubi iam penes sese habent, ex
„Bonis pessumi et fraudulentissimi sunt."

in me dictum sentiam. adhuc enim ex v. cel. Savinii elegantissima de Brachylogo disputatione, sine qua hic liber me profecto editorem non haberet, nihil nisi utilitas atque commoda optatissima mihi enata sunt: nunc autem idem argumentum tractaturo eadem illa disputatio obstat, quo minus mea mihimet ipsi aliisve satis placere possint; nimirum ad ea, quae iucunda sunt ad legendum, horridula et incompta horrida atque inscite dicta videntur. Nihilo minus res mihi qualicunque modo aggredienda est, quoniam, ne si scirem quidem laudatam illius viri commentationem Latine reddere, de quo tamen opere viros me longe in his rebus post se relinquentes prope desperare audivi,

item non possem, quin mea assuerem: nam haud pauca adiicienda, alia pauca omittenda, aliaque paullulum immutanda forent. Ergo sufficiat monuisse quantum potui me Savinium de Brachylogo disserentem secutum esse, ipsumque hunc virum, quo veritatis amantiorem novi neminem, ea, quae a me immutata sunt, non improbasse.

Ordinem disputationis meae hunc sequi placuit: primum de codicibus manu scriptis, tum de editionibus, postea ubi, quando et a quo scriptus sit Brachylogus, quibusque libris usus sit scriptor, de utilitate denique libri nostri similibusque quibusdam ad rem nostram facientibus quaestionibus tractabo.

I. INDEX CODICUM MANU SCRIPTORUM.

Quattuor codicum manu exaratorum adhuc exstantium habemus notitiam, quorum tres priores integrum Brachylogum continent, quartus vero quintam fere totius libri partem priorem. Sunt autem hi: Vaticanus, Vindobonensis, Regiomontanus, Vratislaviensis; de quibus singulis diligentius tractandum videtur.

I. Codex vaticanus[1]) N°. 441. continet scripta iu-

1) Descriptionem huius codicis ex v. cl. Niebuhrii „*Notizen über Handschriften in der Vaticana*“ in „*Zeitschrift für geschichtl. R. W.* 8. *vol. III. pagg.* 416. *sqq.*“ dedi. Ipse vero usus sum exemplo huius codicis a viro docto Maiero, I. V. D. Tubingensi, transscripto, quod liberalitati cl. Lud. Pernicis acceptum tuli. Glossas autem, quod vehementer doleo, Maierus non transscripsit; ad primum tamen Brachylogi librum et se-

ridica fastosque christianos; in illorum novissima pagina saeculo XVI. inscripsit quidam „*Enchiridion iuris vetustissimum*". Duo vero insunt opuscula iuridica, scripta quidem eadem manu, sed compluribus vacuis paginis in medio relictis separata; posterius enim opusculum in alio quarternione incipit.

Primum est opusculum ex Petri exceptionibus legum Romanorum desumptum, alterum est Brachylogus; utrumque sine inscriptionibus. Codex profecto ineunte XIII. saeculo recentior non est; facilius antiquiorem esse existimaverim.

Brachylogi libri non distincti sunt; singula capita singulive tituli magnis coloratisque litteris initialibus distinguuntur; paucis tantum inscriptio praemissa est[2]). Is autem codicis folia XIX et dimidium, id est a fol. XXV. usque ad quadragesimi quarti adversam paginam occupat; in cuius aversa sequentisque folii reversa pagina legitur sine inscriptione tractatus, cuius initium est „*Possessio alia civilis tantum, alia naturalis tantum*"; in fine „*Sic igitur nec ipse aliam adipisci*". Prodiit autem hic tractatus ex glossatorum scholis. Brachylogus glossis instructus est; hic illic interlinearibus quoque, quas recentior manus scripsisse videtur. Permultum autem ad Brachylogum conscriptae glossae differunt ab iis, quibus Petri exceptiones instructae

---

cundi priores septem titulos pertinentes transscripsit meisque usibus permisit cel. Car. Witte.

2) De orthographia idem fere dicendum esse video, quod de codice Tubingensi ad pag. 248. annotavi. Quod loco verborum *condictio* et *intra* ubique *conditio* s. *condicio* et *infra* scribitur, eos dumtaxat moneri opus est, qui scripta iuridica eius aetatis, cui Vaticanus adscribitur, non tractaverunt.

sunt; nam illae totae in eo sunt, ut res atque verba explicent, utpote vera scholia, maximamque partem prudentem, doctum rectique iudicii scriptorem produnt. Ex Iustinianei iuris libris nihil citatum est[3]), non nihil vero ex Augustino, Seneca, Isidoro; id quod bellissimum subsidium est sententiae, in grammaticis scholis iuris quoque doctrinam tradi solitam fuisse. huc itaque pertinet singulare illud exemplum libelli conventionis in ipso Brachyl. lib. IV. tit 9. atque contradictionis libelli in gloss. ad loc. cit. (p. 232. ed. nostr.): in utroque enim libello iudicii personis nomina tributa sunt virorum Sallustii de bello Iugurthino libro celeberrimorum; Sallustium enim prae aliis in scholis olim interpretari solebant. Memorabilis etiam videtur glossa ad §. 3. de contr. innom. III. 8., (p. 221.) tota ex Visigotthorum interpretatione Iulii Paulli sententiarum transsumpta. Cum igitur quicunque glossas scripsit lege Romana Visigotthorum usus sit, ipsum quoque Brachylogi auctorem eadem usum fuisse veri haud dissimile videtur[4]). [Cf. Sav. III. p. 669.]

II. Codex vindobonensis[1]), bibliothecae aulicae. est

3) Ill. Niebuhrius si vult, loca ex corpore iur. civ. expressis librorum titulorumque numeris vel inscriptionibus in glossis illis non excitari, facile id concesserim (nam nescio an glossam ad 131, 3. Vaticanus codex non habeat); contra autem dicendum foret, si quis omnino nihil ex Iustiniani iuris libris in eas glossas transsumptum esse contenderet.

4) Quamquam haec argumentandi ratio mihi non sufficit, res tamen ipsa, auctorem Brachylogi usum fuisse lege Rom. Visig., aliis rationibus extra dubium posita videtur.

1) Quam exhibeo Vindobonensis cod. descriptionem debeo viro pariter comissimo ac doctissimo A. G. Cramero. quae quamvis

membraneus, in octavo, ut vocant; in tergo est insignis haec nota: „CODEX IVR. CIV. N. CCXC. olim Ambras. 122.“ Foliis continetur triginta quattuor, luculenter, sed presse scriptis, estque omnino ab iniuria temporis bene servatus; olim, ut fronti manu saec. XV. inscriptum est, *attinuit venerabili monasterio Sancti Quirini in Tegernsee.* A folio I. usque ad dimidiam paginam adversam folii XXVI. sub praescripto titulo „Summa novellarum Constitutionum Iustiniani imperatoris“ continet quem nunc appellare solemus Brachylogum iuris, scriptum procul dubio sive decurrente saeculo XI., sive ineunte XII. 2) Reliquum illius paginae spatium occupant quattuordecim versibus „Articuli fidei de Sancta Trinitate“, quorum initium:

---

per se sufficiat, tamen, ne quid utile praetermisisse viderer, hic subiunxi Lambecii descriptionem codicis nostri (ex Comm. de bibl. Caes. Vindob. edit. Kollar. col. 645..46. CXXII. Iur. civ. 290.): „Volumen membranaceum in octavo, antiqua et bonae notae scriptura exaratum, quo continentur haec: Summa novellarum Constitutionum Iustiniani Imp. Ita quidem hic titulus ibi scriptus est, revera tamen non complectitur hoc opusculum Epitomen Authenticarum s. Novellarum ... Iustiniani, sed Institutionum, ideoque et ipsa secundum quatuor libros earum in quatuor partes divisa est. Principium huius epitomes hoc est: „*Iuri operam daturum* ....“ Secunda pars... incipit: „*Superiore libro de iure pers* ...“ Tertia pars incipit hoc modo: „*Superest ut de obligationibus dispiciamus* cet“. Quartae demum partis initium hoc est: „*Restat ut de actionibus tractemus.*“
Articuli Fidei Christianae de S. Trinitate...
Summa brevis in Hierarchiam S. Dionysii Areop...
Commentarius in Praedicamenta...“

2) Savinius (vol. II. p. 238.) codicem Vindob. exeunte saec. XII. aut ineunte XIII. scriptum esse affirmat.

„*Articulos fidei conserva corde fideli*
„*Ut tibi cum sanctis sit portio parta fidelis.*" cet.

hos excipiunt alii novem versus, cum inscriptione „Summa brevis in Hierarchiam Dyonisii", qui incipiunt:

„*Prima vel eximia tres unum sunt in usya* [οὐσία]
„*Altera theotenus tria terna vel ordo novenus*" cet.

quibus exprimitur summarium s. argumentum operum Dionysii Areopagitae. Aversa folii XXVI. pagina vacua relicta est; tum sequitur Anonymi cuiusdam Commentarius in decem praedicamenta Aristotelis, qui sic orditur: „*Summus et dux omnium Peripateticorum Aristoteles perfectam et absolutam compositionem*" *cet.* In ultimae denique paginae extrema parte diversa iterum manu versus aliquot memoriales adscripti sunt, inter quos piscium quorundam nomina cum superne posita versione Germanica, in hunc modum leguntur:

Hechit stie alnt vorha asch haerinc warl
„*Lucius, tingus, capedo, trocta, timallus, allec, ballena,*
lahs ael rot stur ruste
„*vel esox, anguilla, murena, Coracinus, rombus, allopeda*
huse salm nase phrase barbe gruntel
„*scaurus, echinus, mullus, smirua, cluma, saxatilis*
narpfa.
„*indeque porca. Silvulus et velter, molossus, clancula,*
„*dirper*" cet.

Praeter summam novellarum omnia, quae codice continentur, produnt manus alia saec. XIII., alia XIV. [Cf. Savin. II. p. 238. Haubold. institt. iur. rom. priv. Lips. 1814. 8°. p. 388.]

III) Codex regiomontanus [1]) membraneus, formae quadratae, versus finem decimi et tertii saeculi aut ineunte quartodecimo scriptus, est ex libris bibliothecae publicae academiae Regiomontanae. In tergo voluminis legitur „1542. *ex arce Tapia*.“ Priorem autem huius voluminis partem occupat Rofredi lib. de iure canonico, qui hanc rubricam in fronte habet: *Incipiunt libelli R. super civilibus actionibus.* in fine haec leguntur: *ff. de adquir. poss. quamvis.* In novissima pagina ipsoque ultimo versu huius libelli haec rubra verba sunt: *Iuri operam daturus*, in sequenti vero pagina ipse Brachylogi textus sine ulla inscriptione incipit: *Iuri operam daturum prius* cet.; littera initialis colorata est. Regiomontanum hunc codicem minime eundem esse ac quem Apellus olim vidit, — nam Apellum Brachylogum manu scriptum vidisse supra (pag. XIV.) dictum est — inde probatur, quod hic quidem longe alium complurium capitum sive titulorum ordinem servasse dicitur (cf. supra pag. XIV.), noster autem in hac re omnino cum editionibus facit; itemque ab illo differt eo, quod libri distincti non sunt propriis inscriptionibus, sed solummodo coloratis litteris initialibus, quales per totum codicem aliis locis non exstant, dum contra in Apelli codice singuli libri suis quisque inscriptionibus distincti fuisse videntur. Rubricae sive capitum inscriptiones tum inter ipsum textum, tum ad marginem scriptae sunt; ne-

1) Ad ea, quae ex adversariis suis mecum communicarat v. cl. Savinius, de codice Regiomont. disputavi. Usus sum huius codicis cum editione Senckenbergiana collatione, olim a v. cel. Beckio confecta, quam idem Savinius mihi utendam dedit.

„*Articulos fidei conserva corde fideli*
„*Ut tibi cum sanctis sit portio parta fidelis.*“ cet.

hos excipiunt alii novem versus, cum inscriptione „**Summa brevis in Hierarchiam Dyonisii**“, qui incipiunt:

„*Prima vel eximia tres unum sunt in usya* [οὐσία.]
„*Altera theotenus tria terna vel ordo novenus*“ cet.

quibus exprimitur summarium s. argumentum operum Dionysii Areopagitae. Aversa folii XXVI. pagina vacua relicta est; tum sequitur Anonymi cuiusdam **Commentarius in decem praedicamenta Aristotelis**, qui sic orditur: „*Summus et dux omnium Peripateticorum Aristoteles perfectam et absolutam compositionem*“ *cet.* In ultimae denique paginae extrema parte diversa iterum manu versus aliquot memoriales adscripti sunt, inter quos piscium quorundam nomina cum superne posita versione Germanica, in hunc modum leguntur:

Hechit stie alnt vorha asch haerinc warl
„*Lucius, tingus, capedo, trocta, timallus, allec, ballena,*
lahs ael ros stur ruste
„*vel esox, anguilla, murena, Coracinus, rombus, allopeda*
huse salm nase phrase barbe gruntel
„*scaurus, echinus, mullus, smirua, cluma, saxatilis*
narpfa.
„*indeque porca. Silvulus et velter, molossus, clancula,*
„*dirper*“ cet.

Praeter summam novellarum omnia, quae codice continentur, produnt manus alia saec. XIII., alia XIV. [Cf. Savin. II. p. 238. Haubold. institt. iur. rom. priv. Lips. 1814. 8°. p. 388.]

III) Codex regiomontanus [1]) membraneus, formae quadratae, versus finem decimi et tertii saeculi aut ineunte quartodecimo scriptus, est ex libris bibliothecae publicae academiae Regiomontanae. In tergo voluminis legitur „1542. *ex arce Tapia.*" Priorem autem huius voluminis partem occupat Rofredi lib. de iure canonico, qui hanc rubricam in fronte habet: *Incipiunt libelli R. super civilibus actionibus.* in fine haec leguntur: *ff. de adquir. poss. quamvis.* In novissima pagina ipsoque ultimo versu huius libelli haec rubra verba sunt: *Iuri operam daturus*, in sequenti vero pagina ipse Brachylogi textus sine ulla inscriptione incipit: *Iuri operam daturum prius* cet.; littera initialis colorata est. Regiomontanum hunc codicem minime eundem esse ac quem Apellus olim vidit, — nam Apellum Brachylogum manu scriptum vidisse supra (pag. XIV.) dictum est — inde probatur, quod hic quidem longe alium complurium capitum sive titulorum ordinem servasse dicitur (cf. supra pag. XIV.), noster autem in hac re omnino cum editionibus facit; itemque ab illo differt eo, quod libri distincti non sunt propriis inscriptionibus, sed solummodo coloratis litteris initialibus, quales per totum codicem aliis locis non exstant, dum contra in Apelli codice singuli libri suis quisque inscriptionibus distincti fuisse videntur. Rubricae sive capitum inscriptiones tum inter ipsum textum, tum ad marginem scriptae sunt; ne-

1) Ad ea, quae ex adversariis suis mecum communicarat v. cl. Savinius, de codice Regiomont. disputavi. Usus sum huius codicis cum editione Senckenbergiana collatione, olim a v. cel. Beckio confecta, quam idem Savinius mihi utendam dedit.

quaquam vero omnes rubricae, quae in editionibus leguntur, in manu scripto codice habentur, bonamque partem recentior demum manus adscripsit, ut accuratius de singulis in commentariis criticis monui. Brachylogum excipiunt foliumque cum dimidio occupant quarundam legum enumeratio „*Lex Iulia de adult.*" *cet.*, expositiones et etymologiae complurium verborum iuris, bonam partem ineptissimae, versus denique memoriales.

IV. Codex vratislaviensis [1]) (Cl. IV. Philologia. fol. N°. 33. 18. p. 308.) bibliothecae universitatis, membraneus, saeculo XIII. nitide scriptus. Codex olim fuit monasterii Heinrichau; continet farraginem opusculorum Latine scriptorum, quae sese hoc ordine, nullo aperto discrimine separata, excipiunt: 1) Confictae Alexandri M. ad Darium aliosque epistolae, cum responsis. 2) Ficta epistola sacerdotis Ioannis. 3) „*Incipit prologus daretis frigii hystoria de devastacione troye a cornelio nepote salustie crispio e greco in latinum translata*" cet. 4) „*Incipit liber de exitu troye. Thetis dicta est mater Achillis*" cet. 5) „*Incipit liber Eneydum de itinere Enee. Eneas dum Agamemnonis*" cet. 6) Historia Romana [S. Aur. Victoris?] usque ad Valentem Valentinianumque A. A. „*Incipit liber primus hyst. rom. Primus in italia regnavit ianus. ut quibusdam placuit Deinde Saturnus*" cet. 7) „*Hic incipit*

1) Doctissimorum virorum Unterholzneri et Wittii, antecessorum Vratislaviensium, liberalitati debeo quae de hoc codice cum lectoribus communicavi.

cronica beatissimorum patrum sancti Ieronimi et beati Augustini" cet. est autem haec „cronica" perbrevis conspectus historiae ab orbe creato usque ad annum MCVIII., cuius hic finis: „*Anno dominice incarnacionis MLVI. indictione IX. Henricus imperator filius Henrici cepit regnare in Ytalia et regnavit annis quinquaginta, in LII. obiit. Post hunc filius eius fredericus post henricus modo fredericus. Anno dominice incarnacionis. M°. centesimo. VIII. Indictione XV.*" 8) Historia Pisana, cui inscriptum est: „*Incipit historia de pysanis et de tymino* [?] *rege*". in fine legitur: „*Anno domini m̊.xxx̊x. octauo*". 9) „*de regnis militieque vocabulis liber*". 10) „*de edificiis publ.*" 11) „*de gestione anulorum*". 12) Tractatus geographicus, auctore, ut cl. Wittio placet, homine Langobardo. „*Incipit liber tertius de divisione orbis*". 13) Vitae sanctorum Alexii, Ioannis evangelistae, Aegidii. 14) „*Incipit liber tractans de generibus lapidum*". 15) „*Historia tyri regis de generacione pylati hic incipit*". 16) „*Incipit historia de nativitate uirginis marie*". 17) „*Incipit historia antyochi regis*". 18) Tum sequitur Brachylogi liber primus cum secundi parte minori; inscriptum legitur „*Hic videndum est quid sit ius*". Occupat autem ea pars libelli nostri, quae hoc codice continetur, XVIII columnas cum parte decimae nonae, a fol. 154. usque ad fol. 158., desinitque ante mediam §. 2. de praescript. XXX vel XL ann. (II. 11.) (cf. ed. nostr. pag. 44. not. *m.*) Librarius haec adiecit: „*Nota quod dicit. sicut semper uinum bibere aut aquam contrarium est. alterius autem uti delectabile. ita si semper sermo*

sit de tristibus non erit gratus. Emergamus itaque de tristibus et ad letiora veniendo pro rerum et causarum varietatibus et noster uarietur ac alteruter sermo. Fides nemini extorquetur ut prefati sumus nec enim visa sed audita referimus. Solum omnipotentie creatoris pie deferatur cui cum uoluerit subest et posse". Iam sequitur 19) „*historia regis*", quam denique excipiunt 20) disputata christiana de precatione domini, de symbolo fidei christianae decalogoque. —

Rubricis, si exceperis quas pag. 23. not. *a*. ad tit. 14. et pag. 29. not. *a*. exhibui, textus Brachylogi in codice Vratisl. non distinguitur. Glossae quoque tam marginales quam interlineares omnino desunt.

Hi sunt, qui adhuc innotuerunt Brachylogi codices manu scripti hodie exstantes. Praeter eos autem tres alios exstitisse, forsitanque nunc uspiam latere monendum videtur. Primum enim codicem, quem olim Apellus Regimontii vidit, minime eundem esse ac quem eadem urbs hodie servat, iam superius (p. LXXXIX.) dictum est; nec magis codex Apelli ad ceteros tres, quos enumeravi, codices accedit. Periit igitur aut certe alto pulvere sepultus latet ille liber. Tum pro certo affirmaverim aut exstitisse aut adhuc exstare in quadam Gallica bibliotheca Brachylogi nostri manu scriptum exemplar, ex quo Vindobonense, quippe ad quod editi libri propius quam ad ceteros codices accedunt, aut transscriptum aut quod potius cum Vindobonensi ex eodem codice repetitum sit. Sennetoniana enim editio Lugduni prodiit, atque ex ea

reliquae omnes editiones, praeter unam Boniateam, accuratius vel minus accurate repetitae sunt; iam autem exstant in Sennetoniano libro loci quidam, quos frustra in codicibus mss. quaesiveris, plura contra in codicibus sunt, quae in editis libris omnino desiderantur. Quid de glossis moneam? quas receperunt Sennetonii, eae omnes originem produnt saeculo decimo sexto longe vetustiorem; multae quidem earum in Vaticano codice (at quam diversus is est a Sennetoniano Brachylogo, si ad textum respexeris!) leguntur, sed de aliis aliter; Vindobonensis vero codicis glossae cum rarissimae, tum maximam partem a Sennetonianis diversae sunt. Ergo dicendum est eum Brachylogi codicem, quem olim Claudius Gustanus, Senonensis Gallus, bibliopolis Roy Pesnotioque dederat (Cf. quae ad editionem N°. 3. disputata sunt.), et ex quo tum Sennetonii Brachylogum expresserunt, minime inter eos esse, quos quattuor numero supra enumeravi. Bituricensem denique codicem ms., quem olim Boniatus Heidelbergensi bibliopolae Iohanni Maiori repetendum dedit (Cf. supra pag. XXVI. sq.), diversissimum fuisse a reliquis omnibus, de quibus locuti sumus, satis abunde testatur ipsa editio, quae anno MDLXX. Heidelbergae prodiit; is vero codex ubi exstet, immo an perierit, plane nescimus.

Haec addenda visa sunt, ut, si possem, doctos viros, quibus bibliothecarum, Gallicarum praesertim, visendarum opportunitas dabitur, in Brachylogi scriptis codicibus requirendis curiosiores efficerem.

Sequitur, ut de editionibus libelli nostri tractemus.

II. INDEX EDITIONUM. a)

Püttmannus (Miscellan. p. 34. Cf. supra pag. LXXI.) et cum eo Stockmannus ad Bachii historiam iurisprudentiae Romanae (Cf. supra pag. LXXII.) falso sunt opinati una cum Apelli isagoga, quae Lugduni a. 1543. prodiit, Brachylogum editum fuisse. praeter Lovaniensem librum (cf. N. II.) nullo, quod sciam, Brachylogus unaque Apelli isagoge continetur.

* I. [1548. fol. max.] *D. IVST. IMP.*| INSTITVTIONES| emendatæ, cum reliqua iuris Diexodo, ad optimi cuius-|que archetypi anagnosin, ex antiquissimis Italiæ, & Gal-|liarū bibliothecis, maximè vero ex venerabilis Auenion.| Collegii archiuo conquisitam. Varia lectione sub asteri-|sco * notata. Et singulis libris eicone hypothetica ad| vtilem voluptatem præfiguratis.|

Accessit CORPVS LEGVM, nunc primùm, & nunquam| antehac, editum. ET INSTITVTA. T. CAII | clarissimi Iuriscons. ex intermortuis rediuiua.|

[Signum Salamandrae coronatae ignivomae cum in-

---

a) Asterisco (*) praefixo indicavi eas editiones, quibus ipse usus sum. Siglis utor hisce:

Sa. = von Savigny Gesch. des R. R. im Mittelalter.

B. = Biener Geschichte der Novellen Justinians. Berlin 1824. 8.

Bi. = Biener Index editionum, ad calcem institutionum ab ipso recensitarum. Berol. 1812. 8.

H. = Haubold Beitrag zur Litterar-Geschichte des Novellen-Auszugs von Julian. In Zeitschrift für gesch. R. W. vol. IV. Editionibus enim omnibus corporis iur. civ., quae Iulianum continent, inest etiam Brachylogus.

Sp. = Spangenberg Einleitung in das Iustinian. Rechtsbuch. Hannover. 1817. 8.

scriptione ad utramque marginem VIRTVTI SIC | CEDIT INVIDIA.]

LVGDVNI.| Ad Salamandræ, Apud Sennetonios Fratres| M. D. XLIX.| Priuilegio Regis.|

Bibliopolae ad lectorem epilogus, quem supra (pag. XIX. XX.) exhibuimus, docet librum exeunte anno MDXLVIII. e prelo prodiisse.

Brachylogus quadraginta duas seorsum numeratas columnas occupat. excipit eum Gaii epitome col. 43...54. Inscriptio rubra in fronte Brachylogi haec legitur: „Cor-„pus Legum per modum In-|STITVTIONVM, AB INCERTO| „Authore in compendium redactum, ex vetustissima| Bi-„bliotheca, vbi diutius latuerat, nuper in-|uentum quod „in studiosorum Iuris|prudentiae gratiam & vtilita-|tem „in lucem nunc| emissum est.“ Sequitur sine libri indicatione ipse contextus. Liber primus occupat columnas 1...6. extr. Lib. II. = col. 6...17. med. Lib. III. = col. 27. med. Lib. IV. = col. 42. Rubricae praeter primam quamque librorum II. III. et IV., quae contexto superpositae sunt, in margine omnes rubris litteris antiquis minutis positae sunt, sine numeris. Inter rubricas conspiciuntur glossae, de quibus dixi pag. 197. Singulae paginae rubricas rubras in fronte habent, aversae quidem hanc: „Iuris ciuilis totius Cōpendium Lib. I.“ et sic porro; adversae vero plerumque, sed non constanter, primam quamque rubricam in ipsis adversis paginis expressam.

Cf. supra pagg. XV...XX. — Sa. II. pag. 239. N. 1. — B. p. 362. N. 73. — Bi. p. XIX. — H. p. 155. N. 2. — Sp. p. 580. 788.

* II. [1551. 8°.] CORPVS LEGVM| PER MODVM INSTITVTIO-|NVM, AB INCERTO AVTORE IN COM-|PENDIVM REDA-

CTVM, EX VETVSTIS-|sima Bibliotheca, vbi diutius latuerat,| nuper inuentum: brevibusq; An-|notationibus illustratum.|

Isagoge D. Ioannis Appelli in quatuor lib.| Institutionum D. Iustiniani Imperatoris,| per Dialogum.|

[Signum solis, in quo sedet Christus infans, laeva orbem cum cruce tenens.]

LOVANII,| Excudebat Bartholomæus Gra-|uius, impensis Martini Ro-|tarij. AN. 1551.| *Cum Gratia & Priuilegio* C. M.

In prima pagina est privilegium Caesareum (Cf. supra pag. XX.), in sequentibus septem typographi praefatio (cf. supra p. XXI...XXII.); quae sequuntur quinque continent indicem opusculi; sexta vacua est. Brachylogus ipse 119. numeratas paginas occupat (Lib. I. = pag. 1...17. Lib. II. = p. 18...49. init. Lib. III. = p. 49...76. Lib. IV. = p. 77...119. [Isagoge *etc.* p. 120. ... 181.]), quarum aversis in fronte IVRIS CIVILIS, adversis COMPENDIVM singulis inscribitur. Praemittitur eadem ac in Sennetoniana editione inscriptio. Rubricae singulis titulis suprascriptae sunt nigris litteris, modo uncialibus, modo minutis sive solitariis. Glossae in fine singulorum titulorum minutissimis litteris cursivis expressae sunt. Cf. quae pag. 197. sq. dixi.

Haec editio plerumque Sennetonianam refert; quaedam tamen verba ex ingenio suo, ut videtur, aut mutavit, aut omisit, rarius addidit editor.

Cf. Sa. II. p. 239. N°. 2. — Sp. p. 580.

* III.) [1553. 8°.] *BRACHYLOGOS*| TOTIVS IVRIS CIVILIS,| SIVE| CORPVS LEGVM,| *Cui adiunctae sunt*| Institutiones T. Caij Iurecons.| VLPIANI| Ex toto scripto-

rum ipsius corpore| TITVLI vndetriginta,| *Ex recenti reperto.*|

[Signum salamandrae ignivomae coronatae, cum epigraphe: VIRTVTI SIC| CE'DIT INVIDIA.]

LVGDVNI,| *Apud Ludouicum Pesnot.*| 1553.| Cum Priuilegio.| — In fine libri, pag. 256. legitur: EXCVDEBAT| MATHIAS BONHOMME| LVGDVNI.|

De hac editione, rarioribus annumeranda, Sp. p. 580. haecce monet: „Ex dedicatione Ludovici Pesnoti ad „Claudium Gustanum (Claude le Goust) discimus illum „ab hoc viro codicem manu scriptum Brachylogi acce„pisse, procul dubio circa annum 1547. [Cf. tamen ipsa epistola dedicatoria, supra pag. XXIII...XXV.], „Pesnotum vero editionem usque ad annum 1553. distu„lisse; quod aegre ferentem Gustanum Sennetoniis libri „exemplar exprimendum tradidisse, et ita Sennetonianam „editionem anno 1549. esse curatam. Haec inde recte „coniicere nobis videmur, quod contextus editionis Pes„notianae per omnia [fere] idem est ac Sennetonianus, „ipsaeque prioris editionis annotationes in Pesnoti edi„tione [maximam partem, sed non omnes] repetitae le„guntur inter recens ab editore additas.“ Posterius autem falso dictum est a Spangenbergio, qui certe editionem, de qua loquimur, non habebat, cum scriberet; nam eae annotationes, quas addito *pe.* significavi, omnes a prima Pesnotiana editione abesse et primum legi in editione 1559. (sive 1557. Cf. N. V.) monui p. 198.

Ceterum prima Pesnotiana posteriori splendidius accuratiusque expressa est. Brachylogus occupat paginas 5...146; (Lib. I. = p. 5...23. Lib. II. = p. 24...61. Lib. III. = p. 62...95. Lib. IV. = p. 96...146.) in primo enim folio est libri titulus et „Extrait du Priuilege“, in al-

tero dedicatio ad Cl. Gustanum. Brachylogum excipiunt Caii institt. libri duo, a pag. 145...190.; sequitur folium vacuum; in pag. 93. est: *XXIX.* TITVLI EX CORPORE VLPIANI. [*Signum salam. etc.*] etc. [*ut supra.*]; pag. 194. rubricas ad Ulp. exhibet; tumque textus Ulpiani sequitur pagg. 159. .. 256. Vides, lector, primum in huius libri inscriptione libellum nostrum „Brachylogum" dici. Iam diximus textum fere accurate ex Sennetoniana editione, a qua nisi in quibusdam minoris momenti rebus nostra non recedit, esse repetitum. Inscriptiones sive tituli singulorum capitum ipsum contextum distinguunt, non additis numeris; semel tantum, pag. 80., omissa est inscriptio, quae esse debuit „De mandato." Glossae, de quibus pag. 198. dixi, ad marginem contextus leguntur. Singulis paginis inscriptum est aversis BRACHYLOGOS, adversis IVR. CIVIL.

Cf. supra pagg. XXIII...XXV. — Sa. II. p. 239. 240. N. 3. — Sp. p. 580..81.

* IV. [1553. fol. max.] INSTITVTIONVM| D. Iustiniani sacratissimi Imperatoris Libri| QVATVOR, ... |||| CVM SCHOLIIS ACCVRSII.| Adiecimus pluribus locis Annotationes .. ||| *Accessit Corpus Legum, antea non impressum, ac Caij Institutionum Libri duo.*|

[Porta, signum Hugonis.]

LVGDVNI,| Apud Hugonem à Porta.| *M. D. LIII.*| Cum Priuilegio Regis.|

In fine libri legitur: „LVGDVNI,| Excudebat Ioannes Ausultus."| Brachylogus paginas occupat 261...283. (Liber I. = pagg. 260...264. init. Lib. II. pagg. 264[a] ... 269[b]. med. Lib. III. = pagg. 269[b]. med...274. Lib. IV. pagg. 275[a] ... 283. med.) In fronte eadem ac in Sennetoniano libro rubra inscriptio legitur. Textus, rubricae atque

glossae, ad marginem positae, omnes sunt ex eadem Sennetoniana editione (non ex Pesnoti, quod Sp. p. 581. putasse videtur). Rubricis, ipsi contexto superpositis, rubrisque litteris expressis, singulis in hac editione primum additur „TIT." cum numero suo. In glossis nihil mutatum est, si hunc illumve typothetae errorem exceperis, nisi quod interlineares quoque cum ceteris omnibus antiquis litteris expressae sunt. Cf. pag. 198.

Cf. supra pag. XXV. sq. — Sa. p. 240. N°. 4. — B. p. 366. N°. 79. — Bi. p. XXI. — H. p. 158. N . 3. — Sp. p. 581. 793. f.

[? Inst. c. gl. in Corp. iur. civ. Lugd. ap. Senneton. 1554. fol. B. p. 366. N. 80. (Cf. Bi. p. XXI.) ex Struvii hist. iur. p. 395. notitiam huius editionis proferens monet, sine dubio sphalmate typographico editionem anni 1550. relatam esse ad ann. 1554. Eiusdem editionis 1554. mentionem factam video a Brunquello, histor. iur. rom. german. Edit. III. Amstelaed. 1740. 8°. P. III. M. II. cap. 5. §. 13. pag. 361.]

* V. [1558. fol. max.] INSTITVTIONVM ||||||| Adiecimus.. ||| *Accessit Corpus Legum, antea non impressum* ...|

[Porta Hugonis.]

LVGDVNI,| Apud Hugonem à Porta.| *M. D. LVIII.*|

Inscriptio libri in verbis eadem est, ac quam superius (N. IV.) exhibuimus, nisi quod in typorum formis, in linearum discriminibus atque in numeris annum indicantibus paullulum differt.

Brachylogus in columnis 499..544. est. Liber I. = col. 499...504. Liber II. = col. 505...516. med. Liber III. = col. 516. med...526. Liber IV. = col. 527...543.

et 544. init. Inscriptio, quae textum praecedit, textus ipse, rubricae glossaeque ex Sennetoniana editione repetuntur, fortasse tamen adhibita priori Hugonis a Porta; nam glossae marginales antiquis, interlineares cursivis litteris, pariter ac Sennetoniana editione expressae sunt; neque in rubricis ponendis priorem sequitur haec altera Brachylogi ab Hugone a Porta facta editio, cum in margine habeat rubricas, ut Sennetoniana, neque eas titulorum numeris instructas. Rubris litteris uncialibus expressa sunt priora singulorum titulorum verba, ad modum Sennetoniani Brachylogi, dum prior Hugonis a Porta editio rubras unciales litteras singulas tantum in cuiusque tituli initio habet. Neque privilegium regium ex priori editione in hanc alteram receptum est, sed legitur in ea praefatio Sennetonianae editionis (cf. pag. XVI. sq. et ibi not. *a.*) In fine nulla est loci aut typothetae mentio, qualem iniicit superior editio. Cf. Sa. II. p. 241. N. 6. — B. p. 366. 367. N. 81. — Bi. p. XXII. — H. p. 160. N. 5. — Sp. p. 581. 800. N. 222. f.

* VI. [1559. (sive 1557.) 8°.] BRACHYLOGOS| TOTIVS IVRIS| CIVILIS, SIVE COR|PVS LEGVM: ITEM INSTI|tutiones T. Caij Iureconsul. &| Dom. Vlpian. ex toto scriptorum| ipsius corpore tituli vn-|detriginta:| *Quibus accesserunt| Iulii Pauli Sentẽtiarum receptarum ad filium| libri quinq;,anteà typis non commissi.|*
[*Signum ut supra N.* III.]
LVGDVNI,| *Apud Ludouicum Pesnot.*| 1559. [in aliis est 1557.] Cum Priuilegio Regis.|

Exempla, sive annum 1557. sive 1559. in inscriptione gerant, omnino unius eiusdemque editionis sunt. Savinius primum tantum foliolum, quod inscriptionem et in aversa pagina „Extrait du Priuilege“ exhibet, denuo re-

cusum esse opinatus est; sed ne hoc quidem recte; ex signis enim, quae non fallunt, deformibus quibusdam litteris aliisque operarum per se nullius momenti vitiis didici exempla illa ex iisdem operis prodiisse, omnemque inter ea diversitatem in eo positam esse, quod alia 7., alia 9. in fine numerorum annos indicantium habent, aliaque in aversa primi folii pagina „Sepetembre" ,alia „Septembre" exhibent. In exemplis huius editionis, quibus utor, „Septembre" est in eo, quod numerum 1559., „Sepetembre" in eo, quod numerum 1557. gerit. Inde recte mihi coniicere videor hanc editionem re vera anno 1559. prodiisse, atque typographorum incuria vitia illa in numero „1557" et voce „Sepetembre" tum demum observata et emendata esse, cum iam plures plagulae de prelo exierant. quae coniectura eo confirmatur, quod ex eadem Pesnoti officina Iuliani novellarum epitome anno 1558. in lucem emissa est; quem librum omnes, quotquot novi eius editiones Brachylogum adiungentes, huic praemittere solent.

Textum et inscriptiones repetiit hic liber (pagg. 5...123. Lib. I. = p. 5....21. init. Lib. II. = p. 21...52. Lib. III. = p. 53...80. Lib. IV. = p. 81...123.) ex superiori Pesnotiano (N. III.), ex quo tantum non omnes glossas receptas ad marginem collocavit; quae recens additae sunt annotationes satis multae, illis interspersae atque asterisco (*) insignes, nescio quem auctorem habuerint; sunt autem fere omnes ex Iustiniani iuris libris desumptae, et, nisi mea me fallit opinio, post annum 1553. conscriptae (Cf. supra N. III.). dico eas cum Senckenbergio Pesnotianas, quamvis vituperante Sp. p. 582., qui profecto falsus est, cum omnes in Pesnoti et Prateii editionibus Brachylogi adiectas annotationes uni et eidem auctori tribuit. Cf. pag. 198.

Cf. Sa. p. 240. N. 5. — Sp. p. 581. (qui tamen, cum diversas esse putaret editiones 1557. et 1559., iterum fallitur, editioni 1559. primum accedere Paulli sententias referens.) Vid. quoque H. p. 160. N. 5.

* VII. [1562. fol. max.] INSTITVTIONVM| DN. IVSTINIANI SACRA| TISSIMI PRINCIPIS LIBRI IIII.| EX VETVSTISSIMIS, AC RECENTIO-|RIBVS EXEMPLARIBVS, THEOPHILO'-QVE| ANTECENSORE REPRAESENTATI, CVM| SCHOLIIS ACCVRSII.|
Adiecimus I. C. epitomen, vulgò Corpus legum appellatam, præcisis, ex qui-|bus desumpta est, locis. Illi subiectæ sunt| Caii Institutiones.|
[Signum erecti leonis.]
LVGDVNI| *M. D. LXII.*|

In fine legitur: „LVGDVNI,| Excudebat Joannes Ausoult.“| In Brachylogo, ad calcem institutionum (col. 499... 543.) collocato, a versu fere ad versum sequitur haec editio alteram illam Hugonis a Porta (Cf. supra N. V.), nisi quod in eadem huius recentioris libri columna, qua Brachylogus explicit, Caii inst. libri duo incipiunt; nam quod columnae 525. & 526., 541. & 542. non omnino iisdem versibus clauduntur vix memoraverim. Ceterum in fronte Brachylogi haec inscriptio est: „CORPVS LE-„GVM| PER MODVM INSTITVTIONVM| AB INCERTO AVCTORE „IN| COMPENDIVM REDACTVM, EX| VETVSTISSIMA BIBLIO-„THECA| NVPER EMISSVM.| Locos, ex quibus transscri-„ptum fuit, margini adiecit| P. Prateius I. C.| EPITOME „IVRIS CIVILIS.|“

Textus est Sennetonianus, ex altera Hugonis a Porta editione, ut videtur, repetitus, sed hic illic a Prateio ex corpore iuris civilis immutatus, satis tamen moderate atque temperanter. In rubricis quoque ac glossis per

omnia fere Sennetonianam editionem secutus est Prateius, in hoc autem ab ea recedens, quod crucis (†) signo singulis praefixo multos quidem, quos in promptu habebat, locos parallelos (sit venia verbo) ad marginem adiecit (Cf. pag. 198. 199.). multum vero abest, quin satis eum in hac re fecisse dicere queam. Varias lectiones rarissime, aliquotiens tamen in margine indicavit. Capitum singulorum, praemisso §i signo, primae quaeque vel plures priores voces uncialibus litteris, omnia vero, cum in margine tum in ipso textu, nigris expressa sunt.

Cf. Sa. II. p. 241. N. 7. — B. p. 387. N. 92. — Bi. p. XXIII. — H. p. 168. N. 7. — Sp. p. 582., sed hic fallitur, sibique ipse contrarius est, cum dicit litteris cursivis expressas annotationes Prateio acceptas esse ferendas (quod nisi de iis, quibus crucis signum praefixum est, verum non est); tum autem contendit omnes annotationes, quas Senckenbergius aut Prateii aut Pesnoti esse dixit, unius esse eiusdemque auctoris.

* VIII. [1567. fol. max.] INSTITVTIO-|NVM DN. IVSTINIANI| SACRATISSIMI PRINCIPIS| LIBRI QVATVOR.| *Ex vetustissimis, ac recentioribus Exemplaribus, Theophilóque antecensore| repraesentati, cum Scholijs Accursii.|* Adiecimus I. C. Epitomen, vulgò CORPVS LEGVM appellatam,| præcisis, ex quibus desumpta est, locis. Illi subiectæ sunt| CAII INSTITVTIONES.|

[Signum erecti leonis. in ipsius signi inferiori spatio est numerus 1567.]

LVGDVNI.| Ad calcem libri est: LVGDVNI,| Excudebat Joannes Ausoult.|

Hic liber tantum non in singulis verbis cum superiori Prateiano conspirat; vide igitur quae de N. VII. dixi.

Cf. Sa. II. p. 241. N. 8. — B. p. 391. N. 99. — Bi. p. XXIV. — H. p. 169. N. 9. — Sp. p. 582. p. 819. N. 259. f.

* IX. [1570. 8°. min.] ENCHIRI=|DIVM IVRIS INSTAR IM=|perialium Institutionum, continens| præcipue [*sic*] fermè totius Iurisprudentiæ| capita, quæ in vasto Iuris Oceano agi=|tantur, studiosis Legum admodum| vtile ac necessa=|rium.|
Cum praefatione Ioannis Boniati Iurisconsulti | & *Secretarij Caesarei.*|
Ad Reuerendissimum & Illustrissi=|mum Principem ac Dominum, Dominum Da-|nielem, Dei gratia Archiepiscopum Mogunti-|num, Sacri Romani Imperij per Germa-|niam Archicancellarium &| Electorem &c.|
HEIDELBERGAE.| Excudebat Ioannes Maior.| Anno 1570.|

Editio prodigiosae raritatis. Primum post inscriptionem folium continet Boniati ad D. Danielem etc. dedicatoriam epistolam (Cf. supra pag. XXVI. XXVII.). Pag. 1. repetitur inscriptio „ENCHIRIDIVM... necessarium", in qua tamen *praecipua* legitur pro isto *praecipue*, quod in prima inscriptione est. Libellus paginas habet numeratas 121; sine numeris sunt duo priora folia et tres ultimae paginae, in quarum priori typographi ad lectorem epilogus, quem supra (pag. XXVII.) repetendum curavi, expressus est. In ultimi folii adversa pagina signum typographi conspicitur, aversa vero vacua est.

Contextus quantum a reliquarum editionum recensionibus recedat singulae fere meae editionis paginae satis ostendunt. In margine loci paralleli ex corpore iur. civ. glossaque ordinaria, ex Alciato et semel ex Cic. de inv. lib. I., admodum tamen pauci, citati sunt; multo pauciores, septem vel octo, ibi aliae leguntur annotatio-

nes, quas repeti curavi. Rubricae longe quam reliquarum editionum rariores ipsum textum distinguunt; librorum vero distinctiones omnino desunt. Recensio, quam haec editio exhibet, haud pauca certe μεταφράζει atque παραφράζει, eandemque a genuino Brachylogo vehementer recedere atque serioribus demum temporibus confectam esse ex eo coniici posse videtur, quod aliquotiens glossarum mentio in ipso textu iniecta legitur, satisque frequenter allegationes, quarum in ceteris codicibus nec vola nec vestigium reperitur, interspersae sunt. Inscriptionem huius libri non ex codice manu scripto desumptam, sed ab editore excogitatam esse monet Sa. II. p. 242. N. 9. Cf. Sp. p. 582.

X. [1575. fol. max.] Institutiones. *etc.*

[*etc. ut supra* N. VII. et VIII.]

[Signum erecti leonis.]

Esse repetitionem editionum supra (Cf. N. VII. et VIII.) descriptarum perhibent, quibus tamen praestare dicit Bi. p. XXVI. Cf. B. p. 403. N. 113. — H. p. 173. N. 12. — Sp. p. 582. p. 827. 828. N. 290. (De Sa. cf. num. seq.)

? XI. [1575. fol. max.] Institutiones. *etc.* Lugd. H. a Porta. 1575.

De hac editione multum mihi dubii iniecerunt v. cl. Crameri monita; is enim in dispunct. (Cf. supra pag. LXVI. lin. 27. sqq.) hanc editionem ad Sennetonianam effictam esse, nomen autem Prateii statim in fronte offendi dixit, ex quo collegeris, hanc editionem eandem esse atque superiorem (N. X.); at litteris ad me nuper datis monuit idem vir multis mihi nominibus colendus: „suadeo, ne negligas editionem a. 1575. Lugdunensem, „in qua certe Prateii observationes longe aliae apparent.“ Memoratur etiam haec editio in Catal. Thott. T. II. p.

9. Savinius (II. p. 242. N. 10.) quoque eandem, sibi tamen non visam, enumeravit tanquam repetitionem editionum sub VII. et VIII. indicatarum, idem quod Bienerus (p. 403. N. 113.) Spangenbergiusque (p. 828.) et ipse Cramerus (de V. S. Kil. 1811. 8. p. XLI.) de superiori editione (N. X.), cuius nulla apud Savinium mentio facta est (quod B. p. 403. N. 113. minus recte affirmat), monuerunt. In re tam dubia iam Spangenbergius suspicatus est unam esse eandemque editionem, quas sub N. X. et XI. memoravimus. Certe cum Bienero dicendum videtur rem nondum ab omni parte liquere. Cf. praeterea B. p. 616.

XII. [1576. fol.] Institutiones. *etc.* Augustae Taurinorum apud haeredes Bevilaquae. 1576.

Inest Brachylogus cum Iuliano. Bienerus (p. 407. N. 118.) dubitat, utrum repetita sit haec editio ex Sennetoniana, an ex ea, quam Prateius (N. VII. VIII. X.) curavit. Cf. Sa. III. p. 669. — Bi. p. XXVI. — H. p. 174. N. 13. — Sp. p. 832. N. 295.

XIII. [1580. fol. max.] Institutiones. *etc.*

[Signum erecti leonis.]

Lugduni. 1580.

Brachylogum contineri hoc libro nihil dubito: videtur enim haec editio ex superioribus VII. VIII. X. repetita esse. Cf. Struv. bibl. iur. ed. 1756. p. 46. hist. iur. p. 395. B. p. 411. N. 122. — Bi. p. XXVI. — H. p. 178. N. 15. — Sp. p. 833. N. 302.

XIV. [1585. fol. max.] Institutiones. *etc.*

[Signum erecti leonis.]

Lugduni. 1585.

Ut supra N. VII. VIII. X. XIII.

Cf. Sa. III. p. 669. — B. p. 415. N. 129. — H. p. 178. N. 16. — Sp. p. 846. N. 324. (ad quem tamen, ut et ad Biener. ind. edd. p. XXVII. iam conferendus est B. l. c.)

XV. [1585. 8°. (1590. 8°.)] Institutionum, sive Elementorum iuris civilis enucleati libri IIII. ... cura Nic. Reusneri. Francof. ex off. Nic. Bassaei. 1585.

Inscriptionem dedi ex Sa. II. p. 242. N. II., qui eidem editioni postmodum novam inscriptionem praefixam esse docet *); quae nova inscriptio legitur ap. Senckenb. (cf. supra p. XXXV. §. 4. praefaminis.) —

Librum non vidi, quod patienter fero; Savinius enim de eo ita iudicat „*Aus der Zueignung an den Grafen* „*von Hanau erhellt, dass Reusner keine Handschrift* „*gehabt, sondern dass er den Text nach eignem Gut-* „*dünken und aus dem Text des Corpus Iuris verbessert,* „*auch die Abtheilungen nach Willkühr verändert hat:* „*ein Verfahren, welches bei einer Schrift dieser Art* „*nicht sinnloser und verkehrter hätte ersonnen wer-* „*den können.*“

Cf. supra p. XXVIII...XXXI. — Sp. p. 582. — Cramer. supra pag. LXII.

* XVI. [1592. 4°.] INSTITVTIONVM, | SEV | PRIMORVM IVRISPRVDENTIAE | ELEMENTORVM, | LIBRI QVATVOR | DN. IVSTINIANI, SACRATISS. PRINCIPIS, | auctoritate ac iussu

---

*) Dubito an ex I. F. Iugleri „Beiträge zur iurist. Biographie“ vol. V. Lips. 1779. 8., qui pag. 312. (in vita Nic. Reusneri) hanc inscriptionem Brachylogi dedit: „Institutionum sive Elementorum iuris ciuilis libri IV. ex vetustissima Bibliotheca Opus depromtum: ac olim quidem sub titulo Βραχύλογος totius iuris ciuilis, siue Corpus legum, in lucem editum, nunc vero multis modis restitutum et emendatum, opera N. *Reusneri*, cum paratitlis eius et notis perpetuis, quae Commentarii vice esse possunt. Frf. 1585. 8. (24 Bogen.)

compositi:| *Post* ACCVRSII *Commentarios*,| AEGIDII PERRINI Scholia, aliorumq; Iurisconsultorum| Obseruationes, Intellectus singulares, & Additiones,| *Nunc recens* IACOBI ANELLI *de* BOTTIS, *Regij| in regno Neapolitano Consiliarij, Adnotationibus illustrati.*| ADDITA AD VOLVMINIS PRINCIPIVM| pulcherrima ipsarum Institutionum Epitome,| *DIONYSIO GOTHOFREDO Auctore*,| *Iuris studiosis quàm utilissima.*| CVM PRIVILEGIIS. |

[Signum lilii nigrum, cum litteris ·L· ·A·]

VENETIIS, Apud Iuntas. M. D. XCII.|

Brachylogus (quem Caii inst. libb. duo excipiunt) occupat columnas 779....836. (Lib. I. = col. 779...787. Lib. II. = col. 788...803. init. Lib. III. = col. 803... 816. init. Lib. IV. = col. 816...836.) In exprimendo Brachylogo Iuntae per omnia Prateianam editionem eamque priorem secuti sunt, ita quidem, ut vel satis aperta vitia repetierint; sed dubito an nulla recentia errata irrepserint. De glossis pagg. 198. 199. me dicere memini. Ceterum lectorem ad ea, quae de editione N. VII. monui, ablego.

Cf. Sa. III. p. 669. — B. p. 416. N. 132.*) p. 616. — Bi. p. XXVIII. — H. p. 179. N. 17. — Sp. p. 852. 853.

XVII. [1598. 4°.] Institutiones. *etc.*

[*etc. ut superior editio* N. XVI.]

*) Ad quem locum adiicio, hanc totius corporis iuris civ. glossati editionem inter libros meos esse, legique ad calcem digesti veteris, ante „additiones novas“ „VENETIIS, MDXCI.| Apud Iuntas.“| Infortiatum atque digestum vetus eiusmodi subscriptionem non habent; in fine vero Codicis est, item additionibus novis praemissum: „VENETIIS, | APVD IVNTAS.| M D XCII.“| Ad calcem voluminis legum sive potius institutionum, in pagina, quae add. novas praecedit, est: VENETIIS,| APVD IVNTAS M D XCI.“ Diversa igitur est haec editio ab ea, quae Venetiis (*cum signo Aquilae*) eodem illo anno prodiit.

Venetiis apud Iuntas. 1598.

Hanc editionem, quam non vidi, dicunt per omnia superiorem Iuntinam sequi, quod minime addubito, cum sciam proxime sequentem a versu fere ad versum expressam esse ad exempla, quae anno 1592. prodierant.

Cf. B. p. 417. 418. N. 134. — Bi. p. XXVIII. — H. p. 179. 180. N. 18. — Sp. p. 860. N. 357. b.

* XVIII. [1606. 4°.] INSTITVTIONVM. *etc.*

[*etc. ut supra N.* XVI. *sed litterae L. A. nigro lilii signo appositae non sunt.*]

VENETIIS, M D C V I.| Apud Iuntas.|

Ad calcem libri est „VENETIIS. MDCVI."

Haec editio, de qua videnda sunt, quae ad N. XVI. XVII. dixi, minime tam nitida est, quam illa prior. B. p. 418. N. 135. titulum hunc exhibet: „... cum adnotationibus Anelli de Bottis et Augustini Caravitae (Signum Aquilae.) Venetiis 1606. sub signo Aquilae renovantis. 4." Brunorum a Sole, utr. cens. Doctorem Venetum, de quo Bienerus l. c. loquitur, ad calcem Iuntini libri, de quo loquor, non nominari video. Apparet igitur v. cl. Bienerum de editione a nostra diversa locutum hanc ipsam omisisse, quod item ei evenit, cum editionum indicem, quem institutionibus a se recensitis adiecit, scriberet, in quo quidem de Contiana illa Brachylogum non exhibente, quae Venetiis 1606. sub signo aquilae prodiit, nihil autem de nostra editione dicitur. Eandem autem, praeter B. etiam Sa., H., atque Sp. omiserunt editionem.

† XIX. [1620. fol.] Corpus iuris glossatum. August. Taurinor. 1620.

Hanc ita enumerat editionem Sp. p. 877. N. 407. c.,

quem pro suo more cautissime sequitur B. p. 419. N. 137. Cf. supra N. XII.

XX. [1621. 4°.] Institutiones. *etc.*

[*etc. ut supra* N. XVI. XVII. XVIII.]

Venetiis apud Iuntas. 1621.

Editionem ex N. XVII. repetitam esse legimus apud H. p. 180. N. 19. — Cf. B. p. 419. N. 138. — Bi. p. XXX. — Sp. p. 877. N. 408.

* XXI. [1743. 4°.] BRACHYLOGVS| IVRIS CIVILIS| SIVE| CORPVS LEGVM| PAVLO POST IVSTINIANVM CONSCRIPTVM| PANDENS| TOTVM IVRIS IVSTINIANEI AMBITVM| CVM NOTIS PERPETVIS| LVDOVICI PESNOTI, PARDVLPHI PRATEII| ET| NICOLAI REVSNERI| EDIDIT, PRAEFATVS EST, EMENDAVIT| CVM SEX APPENDICIBVS| ET| INDICE GEMINO| IN VSVM AVDITORII SVI| D. HENR. CHRIST. SENCKENBERG| CONSIL. REGIM. HASS. AC DIVERS. PRINCIPVM| ET STATVVM NEC NON PROFESSOR PVBLICVS ORD.| IVR. IN ACADEMIA GISSENSI.

[Signum: altare cum corde; ad laevam fides crucem tenens, ad dextram spes cum anchora sedent.]

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE| IMPENSIS IOAN. FRIDERICI FLEISCHERI| A. O. R. cIↃ IↃ CCXLIII.

De hac editione iam satis dictum esse puto; quod de ea iudicium tulit v. cel. Cramerus (cf. supra p. LXII.), ei libens subscribo. Cf. praeterea Sa. II. p. 243. N. 12. et supra pagg. XXXI....LVIII.

XXII. [1761. 12°.] Corpus legum. *etc.*

[*etc. cf. supra* N. II.]

Lovanii e typographia academica. 1761.

Cum frustra meum hanc editionem mihi comparandi studium fuerit, nihil mihi superest, nisi ut lectores ad ea

ablegem, quae Senckenbergius in praef. ad Begeri corp. iur. civ. reconcinnatum (cf. supra pag. LIX.) disseruit. Cf. Sa. II. p. 243. N. 13. — Haubold inst. iur. Rom. ed. C. E. Otto. Lips. 1826. 8. pag. 469. N. 8.

XXIII. De editione mea paucis dicam. Quae Savinius (vol. II. p. 243. sq.) eum, qui denuo Brachylogum curaret edendum, facere iusserat, ut ea praestarem enixe operam dedi; instrumentum editionis ex codicibus scriptis, de quibus fusius dixi, atque ex editionibus principibus Sennetoniorum Boniatique potissimum comparavi, variasque lectiones omnes quam potui accuratissime in commentarios criticos rettuli, itemque ex aliis quoque antiquissimis atque Senckenbergii editionibus petii. nam qui mecum expertus fuerit variarum lectionum accuratam enarrationem librorum quasi internam historiam litterariam esse, is ne me nimium in hac re fuisse dicat minime vereor. Scriptos codices, Vaticanum praecipue, quantum fieri potuit recensione mea secutus sum; coniecturis neque aliorum neque meis indulsi, ubicunque autem vel latum digitum ab iis recessi, quae scriptis libris principibusve editionibus tradita erant, lectorem expressis verbis monui. Interpungendi rationem consuetudinemve meam mihi permisi, neque immodestus sum, qui dicam in hac re Brachylogo multum me profuisse; nam prioribus editionibus quantum perversa interpunctione peccatum sit, singulae fere paginae ad nauseam usque mihi persuaserunt. Orthographiam secutus sum eam, quae maxime mihi probata visa est. In capitum sive titulorum distinctionibus potissimum ad ea respexi, quae auctor ipse de libelli sui ordine sive de industria sive obiter indicaverat: rubricas capitum, quae in codicibus scriptis leguntur, cum rariores essent, omnes in commentariis criticis indicavi, sed de iis, quae in editis libris habentur,

nihil dixi, nisi quotiens ipse aliam rubricam receperam. Ut accuratiores locorum similium indices adiiciens scriptorem in componendo libro suo quasi pedetentim sequi possem, nova paragraphorum distinctione opus esse videbatur; numeris igitur arabicis, quos falso vocamus, distinxi singulos fere titulos modo pluribus modo paucioribus paragraphis, prout locorum similium ad singulos locos Brachylogi allegandorum aut copia aut diversitas postulare videbatur; si qui loci vel omnino nulla vel minima dumtaxat immutatione in Brachylogum translati erant, eos sine ullo praemonito indicavi; quotiens autem in locis aliorum librorum maioris momenti res mutaverat scriptor noster, ita tamen, ut quibus in componendis libri sui singulis commatibus usus esset, non dubitarem, praemisso „Cf." [Confer *s.* Conferatur *s.* Conferantur] locos citavi; iis demum locis „Vid" praescripsi, qui cum Brachylogi locis apertam quidem aliquam similitudinem habebant, sed eam non ita magnam, ut de singulis ausus fuerim dicere Nostrum, cum sua scriberet, ad eos respexisse. uncinis [ ] eos inclusi locos, quibus, licet Nostro non notis, librum tamen eius explicari posse putabam, aut quos aliis de causis cum eodem collatos volebam. qui factum sit, ut Authenticas institutionum codicisque Iustiniani ad Iuliani epitomen ubique citaverim, et quamobrem legis Romanae Visigotthorum locos uncinis incluserim, inferius, ubi de fontibus libri nostri egi, rationem reddidi. lunulis ( ) distinxi locos, qui, quamvis eos aut perfunctorie dumtaxat aut omnino non attigisset scriptor in iis locis, ad quos equidem illos citavi, tamen ad rem facere videbantur. Haud quidem spero, fore ut in hac locorum annotatione vel aequis iudicibus ab omni parte satis fecerim; sed confido rei peritos aestimatores facile veniam esse

daturos, si quid in re tam ardua, quae multam assiduamque lectionem pariter ac felicem memoriam acutumque iudicium — quibus omnibus ingenii dotibus equidem non fuero gloriatus — desiderat, interdum me peccavisse deprehenderint. De praefationibus, privilegiis, doctorumque hominum de Brachylogo disputationibus, quas in librum meum recepi, aliquid addam non est opus; nam omnis explicatio iis, qui historiae litterariae naturam utilitatemque cognoverunt, inutilis foret, quia supervacanea, aliis autem, quia frustra eos compellarem. De glossis vero et de epitome iuris civilis, quas libri mei partem esse volui, suis locis (p. 197. sqq. p. 215.) dixi. Superest, ut de indice grammatico, ad calcem libri posito, lectores moneam ideo eum esse confectum, ut facilius voces formulaeque reperirentur memorabiliores, eaeque potissimum, quibus aut primarii scriptores non usi essent, aut quae contra puriores vel elegantiores viderentur, quam a scriptore undecimi sive duodecimi saeculi exspectaverim. Iam, cum siglarum, quibus usus sum, explicationem exhibeat ipsum contextum praecedens pagina, quae de editione mea dicenda fuerunt dixisse mihi videor.

III. UBI BRACHYLOGUS SCRIPTUS SIT.

Ex eo loco, quo capitulare legis Langobardicae, quod est Ludovici Pii (cf. ed. nostr. pag. 132. §. 18. quib. ex caus. pers. prohib. IV. 4.), citatur, non sine summa veri specie coniecit Savinius Brachylogum in Lombardia conscriptum esse. Nam Senckenbergii de illo loco, qui legitur in omnibus libri codicibus, scriptisque editisque, suspicio eum suppositicium multoque post librum scriptum tempore a temerarii cuiusdam scioli manu assutum esse, quam infirma ac futilis sit, vix mone-

atur opus est, et iam Hommelius (cf. supra pag. LXII. init.) recte vidit. ne dicam de anili argumentatione, qua Senckenbergius (cf. praef. §. XI. pag. XXXVIII. ed. nostr.) usus est, ut Italum aut Afrum fuisse Brachylogi auctorem probaret; nam quod de tit. ult. lib. IV. et de praeside provinciae protulit, quam tenue sit, nemo non videt; pari iure hodie quis nos ablegaverit ad praesides provinciarum, ut appellaremus: at oppidi Vaccae in toto Brachylogo mentio fit nulla; glossa (ad 146,13.) quidem illud oppidum memorat; verum enim vero qui semel audivit verba *Falso queritur de natura sua genus humanum*, ei dubium non erit, unde illa notitia profecta fuerit. Savinii autem de patria Brachylogi opinio haud scio an iis, quae de litaniis praecipiuntur §. 2. de temp. iudic. IV. 7. (pag. 136. ed. nostr.), confirmetur, quippe quae item aperte ad capitularia et concilii Aurelianensis canonem de rogationibus sive litaniis, a Gratiano in decretum receptum, spectare videantur. Unum est, quod de re, quam tractamus, me sine dubio esse non sinit; quod quid sit sequenti paragrapho dicam.

IV. QUANDO SCRIPTUS SIT BRACHYLOGUS.

Videmus ex eodem illo loco, quo capitularis legis Langobardicae mentio iniicitur, Brachylogum Ludovici Pii temporibus iuniorem esse. est autem, Savinium sequor, profecto longe minor Brachylogi aetas; nam huius libri bonitas quantum superet codicem Utinensem, qui circa nongentesimum p. Chr. n. annum conscriptus est, sive quaestiones Lombardicas, quas centum fere annis post scriptas esse perhibent, quam

elimatior sit ille liber, quam doctius ex Iustiniani iuris libris elaboratus, quantoque meliorem prae se ferat dictionem sane mirum est. itaque alii eidemque posteriori aetati Brachylogus videtur adscribendus. Ac reputantes quonam scriptionis genere inde ferme ab enata schola Bononiensi per ducentos annos et ultra glossatores usi sint, quantumque ab eo genere scribendi Brachylogi auctor abhorruerit, eundem ante Bononiensium iure consultorum tempora vixisse necesse est existimemus. Savinius igitur circa annum milesimum et centesimum p. Chr. n. Brachylogum esse conscriptum ratiocinatus est; neque si quis Irnerium libri nostri auctorem fuisse suspicetur, sibi hanc suspicionem improbabilem visum iri. quod mihi causa exstitit ad eos locos, quos Nostrum ex Iuliani antecessoris epitome sumpsisse deprehendebam, praeter hunc Iulianum authenticas quoque, tum institutionibus tum constitutionum codici Iustinianeo inditas, quod ab Irnerio inprimis factum esse iam inter omnes constat, indicandi, ut facilius illa de auctore Brachylogi suspicio trutina exquiri posset, utrum probanda sit, nec ne. equidem certi quidem quod dicam nihil habeo, sed non nullorum locorum Brachylogi maiorem cum authenticis quam cum Iuliani epitome similitudinem esse me videre memini. Ad explorandam libri nostri aetatem glossas, tum quae in scriptis libris leguntur, tum Sennetoniana editione expressas, magnum momentum habere posse putaverim, e. gr. gloss. ad. 52,1. 59,4. et si quae similes sunt. sed quamvis miratus neminem adhuc, quod sciam, hanc viam expertum esse, ipse tamen, ne nimius fiam et quia de sagacitate

mea parum confisus sum, hanc rem doctioribus integram relinquam.

Iam nihil ex iis, quae de loco ac tempore scripti Brachylogi ex Savinio [a]) inprimis disputata sunt, rectius accuratiusve me demonstraturum esse video; attamen unum, quod multum mihi dubitandi causam iniicit, reticere nolo: semper enim miratus sum, neque nunc non miror, quod in toto Brachylogo iuris feudalis nec vola, nec vestigium apparet, quanquam Conradi II. Lex iam anno cIↄxxxvii. lata fuerat. Neque dixerit quisquam Nostro, utpote qui de iure civili tractare sibi proposuerit, opportunitatem iuris feudalis mentionem iniiciendi defuisse. Nonne enim qui legem Langobardorum citavit, de litaniarum festo locutus est, recentiorem formam libelli conventionis docuit, aliaque a Iustiniani libris omnino aliena interspersit, ne dicam de exemplis, quae vel auctor ipse vel alius quispiam, quem ille forsitan secutus est, ex Cicerone, Sallustio, Livio, Valerio aut Orosio desumpsit, nonne is, quaeso, opportunitatem habebat de feudis, certe perfunctorie atque obiter, dicendi?

Sed his missis videamus de aliis opinionibus, quae de aetate Brachylogi Senckenbergius atque Saxius evulgaverunt [b]). Ingratus quidem est mortuos iugu-

---

a) Quem per omnia summatim secutus est v. cl. Mackeldey *Lehrb. des heut. R. R.* §. 79.

b) Singularem quidem de libro nostro opinionem Albr. Schweppe (Röm. Rechtsg. Gotting. 1820. 8. §. 138. pag. 221.) sibi excogitavisse videri potest, cum dicit: „*Unter dem Einflusse* „*der Glosse entstanden, und darum weniger wichtig,* „*sind* 1) *die Summa novellarum constitutionum Iustinia-* „*ni, eine Summa des Justinianeischen Rechts nach dem*

landi labor, sed quae illi docti viri de re nostra disputaverunt, ita ab aliis pro veris recepta sunt, ut silentio praeteriri nequeant. Senckenbergius itaque Brachylogum non solum Iustiniano imperante aut certe non ita multo post conscriptum, sed etiam distinctius fusiusque, quam qui praefationem editioni Lovaniensi praemissam (cf. supra pag. XXI.) scripsit, eandem fabulam narravit, cum legem eum esse a Iustiniano scriptam Italicis Afrisque, qui Romanae dicioni subiacerent, opinatus est. Argumentis eum supra quam credi possit tenuibus et quae refutentur indignis usum esse Savinius merito iudicavit [c]); ita locum, quo lex Langobardica citatur, quem locum in omnibus libris exstare supra diximus, Senckenbergius, cum aliter opinionem suam sustinere non valeret, simpliciter cuiusdam interpolanti homini adscripsit. Ceterum videant lectores, si tanti res videbitur, ipsum viri „praefamen", quod supra (pag. XXXIII. sqq.) exhibuimus.

Diversam a Senckenbergio sententiam defendit Saxius, qui Brachylogum ipsius Apelli partum sextoque decimo saeculo ab illo, ut suam de methodo iuris prudentiae condiscendae dissertationem aliis magis probaret, tanquam antiqui cuiusdam scriptoris opus editum esse contendit. Quid vero de Brachylogi codi-

---

„*Vorbilde der Institutionen, erst später Brachylogus* „*genannt.* 2) *Der s.g. Ulpianus de edendo*" *etc.* sed hoc si quid est, falsissimum et ex Saxii suspicione enatum est.

c) Non defuerunt tamen, quibus ille satis placuerit; e. gr. H. G. van Vryhoff (Observ. iur. civ. Amstelaed. 1747. 8. pag. 106.) aliud agens se decipi passus est de „*Brachylogo iuris civilis*, „quem librum esse satis antiquam legum collectionem, mihi „recte probasse videtur in eius praefatione doctiss. Senckenbergius, qui ... hoc opus, fere ignotum, iterum edidit ..."

cibus manu scriptis, qui longe eam aetatem omnes superant? nempe Saxius eos exstare ignoravit; immo aliis affirmantibus fidem habere detrectavit. Ipsa Saxii disputatiuncula superius (p. LIX. sqq.) repetita post vv. cll. Crameri [d]) et Weisii disquisitiones (cf. pagg. LXII. sqq. LXXII. sqq.) vix alio medico egebit. satis enim constat Saxii de scriptore atque aetate Brachylogi opinionem nugatoriam esse; nam princeps non est editio Lovaniensis, quae anno MDLI. prodiit, addito dialogo Apelliano, cuius a Saxio imprudentissime falsi criminis reus factus auctor iam dudum ante e vita decesserat, profecto nescius, ut puto, fore ut tribus lustris post mortem suam una cum Brachylogo ederetur dialogus in institutiones: neque nostrum aut alium quemquam Apellum Lovanii ius professum esse usquam me legere memini; immo praeter nostrum Ioannem eumque Apellum, qui suis de metris magis quam de iure libris nominis famam consecutus est, dubito an nullus Apellus in historia iuris litteraria nominetur [e]). Neque quicquam contra Apelli

---

d) Sed hic vir olim quaedam disputavit, quae ipse hodie improbaverit. Cf. supra pag. LXIV. lin. 21. sq. 27...29. pag. LXV. lin. 14. sqq. pag. LXVI. lin. 8. sqq. Non vereor, ne immodestiae me arguat vir multis mihi nominibus colendus, contra cuius scriptum ante hos ferme quadraginta annos editum quaedam ea de causa monui, ne perfunctorie legisse viderer.

e) Satis iam Weisius (cf. pag. LXXVI. init.) demonstravit Saxium silvam in aere volantem vidisse, cum scriberet (cf. pag. LX. lin. 25.) Apellum in academia Lovaniensi iussu Caroli V. Imp. iuris civilis Romani litteras docuisse. Locum, ad quem Saxius nos ablegavit, (pag. 127. edit. Lovaniens.) a Weisio partim transscriptum, integrum legisse iuvabit. „*Fateor*, „*neque ignoro, aequiore laturum animo Galliarum re*-„*gem, si Mediolanum amiserit, quam istos professores*,

de Regiomontano codice dicta pugnat, quod bibliopola Gravius ex Gallia se accepisse „totius iuris civilis compendium" professus est (cf. pag. XXI.); Lugdunensis enim liber est a Sennetoniis impressus Brachylogus. Miramur incautas Saxii de Brachylogo suspiciones tot defensores nactas fuisse, inter quos praeter Püttmannum, Stockmannum, doctumque Anonymum, quem pag. XIII. not. *a.* laudavi, Hummelius [f]) quoque notandus venit.

V. QUIBUS LIBRIS NOSTER SIT USUS.

Auctor Brachylogi, quisquis ille fuit, cum iuris Romani praecepta in artis formam redigere sibi proposuisset, usus est Iustinianeis libris, ex quibus opus

---

„si amittant veterem illum suum praelegendi modum. „Neque id mirum, quum rex civitatem semel amissam „rursus recuperare queat, hi vero semel e possessione „deiecti, nunquam possint ea potiri, id quod hac luce „meridiana clarius cernunt: quo fit, vt eam tam strenue propugnent. Quodsi hanc provinciam tenuitati meae demandaret Carolus V. vt in „ea re adolescentiae studiis prospicerem, „iuberem, vt nouitiis, praeter prima artis elementa, „nihil praelegeretur: neque permitterem eos ad sacras „illas Pandectarum et Codicis praelectiones illotis manibus ad hunc modum irruere." rel.

f) Albr. Hummel Handb. der Rechtsgesch. vol. III. part. 1. (Giess. 1806. 8.) pag. 345: *„Der Verfasser des Brachylogus, „Achellus* [sic Apelli nomen perverse scriptum est], *„wird „gewöhnlich auch in diese Zeiten* [loquitur autem scriptor de temporibus proximis post Iustinianum] *gesetzt; allein jener ist ganz unstreitig erst im 16ten Jahrhundert geschrieben worden. Er ward im 16ten Seculo sehr oft, „und im 18ten von Senkenberg neu aufgelegt. Es soll „ein vollständiges System des röm. Rechts seyn; ist „auch wirklich so übel nicht.*" Haec ille.

suum conficeret; inprimis autem, sive de ordinando digerendoque libro, sive de ipsis rebus traditis quaeras, institutiones eum secutum esse videmus. at hanc sibi non scripserat legem, ut nihil ab ordine institutionum recederet, nihil mutaret aut in compendium redigeret, nihil denique ex aliis iuris libris aut de suo interspergeret. Neque digestis eum et codice novellisque constitutionibus usum esse quisquam infitiabitur. digestis vero non nisi rarius usus est; neque ullum se vidisse locum, quem ex Infortiato Noster sumpserit, Savinius dixit; nam qui sunt in Infortiato loci locis Brachylogi consimillimi, eos etiam in Iustiniani institutionibus, quibus scriptor constanter usus est, legi. Verumtamen de his dubitare licebit; nam titulos de tutoribus (e. gr. §. 7. de excus. tut. I. 15.) atque libri secundi posteriorem partem inspicienti saltim dubia res mihi videtur. Novellas constitutiones, quibus scriptorem usum esse videmus, omnes ex Iuliani antecessoris epitome aliarum ad verbum transscripsit locos, alias in compendium redegit. Lege Romana Visigotthorum quin usus sit dubitavit Savinius, quoniam idem Paulli locus, qui receptarum sententiarum lib. I. cap. VII. §. 2. legitur, in digestis quoque est locumque Ulpiani sequitur, quem eundem Noster in suos usus convertit (cf. pag. 45. §. 4. 5.); itaque ad digesta, non ad breviarium Alaricianum, quod dicunt, respexisse Nostrum videri. Et profecto infirmis rationibus niteretur qui hoc loco aut male addito Iulii praenomine (cf. not. *b*. pag. cit.) probare conaretur Nostrum quaedam ex lege Rom. Visigotthorum sumpsisse: nam de ipso loco satis explicatum

est; praenomen vero Paulli, vel si ipse scriptor adiecit, quod non adiecit, aliunde scire potuit, e. gr. ex const. 5. Cod. de rec. arb. II. 56., qua ipsa constitutione alio loco usus est. Neque cum ill. Niebuhrio (Cf. p. LXXXVI.) dixerim, cum ille, qui glossas ad Brachylogum conscripsit, noverit legem Rom. Visigotthorum (cf. gloss. ad 88,10.), nihil obstare quo minus ipse quoque Brachylogi scriptor eandem legem novisse potuerit. multi enim libri, qui ante duodecimum saeculum paene delituerant, ab eo inde tempore in assiduum hominum usum venerunt. At profecto Nostrum lege Rom. Visigotthorum usum fuisse ostendit non unus locus libri quarti, in quo quaedam sunt nullo alio ex libro nisi ex Paulli sententiis receptis desumpta, certe cum his ad verbum fere convenientia; cf. e. gr. §. 1. de poenis IV. 31. cum Paull. sent. rec. V. 17. §. 3. et §. 10. de publ. iud. IV. 32. cum Paulli sent. rec. V. 30[a]. etc. — ΚΙΣΣΟΣ ΜΕΤ' 'ΑΝΘΕΣΤΗΓΙΑ. nam rem tum demum vidi, cum bona pars libri e prelo iam prodiisset, quo factum est, ut, cum locos ex lege Rom. Visigotthorum iusto parcius a me citatos uncis quasi ipsi scriptori non notos includendos duxissem, errore intellecto noluerim alio more in posteriori, quam in priori parte operis uti. Iam igitur doctum lectorem rogatum velim, ut ex propria penu ad locos Brachylogi, quotcunque ex lege Rom. Visigotthorum — nam et Gaii epitomae atque codici Theodosiano quaedam Nostrum debere moneo — hausti videbuntur, similes locos adscribat.

De legibus Langobardicis supra dixi. superest autem ex hoc genere, ut moneamus, quaedam ex Cicerone (cf. pag. 152.) atque Sallustii de bello Iugur-

thino commentario (cf. pag. 145.) in librum nostrum transiisse. at cautius esse existimo dubitare, utrum ex illis ipsis auctoribus, an ex sui temporis trivialibus libellis illos locos, et si quae alia de hoc genere sunt, scriptor deprompserit. Cf. pag. 131. not. *b*.

VI. DE INSCRIPTIONE LIBRI.

Manu scripti codices Brachylogi nullam inscriptionem produnt, praeter Vindobonense exemplar, in quo libello nostro ineptum „Summae Novellarum Constitutionum Iustiniani imp.“ nomen inscriptum est. „Brachylogi“ nomen, quod per multos abhinc annos libro, de quo tractamus, imposuerunt, primum offendimus in priori Pesnotiana editione (cf. Ind. editt. N°. III.); sed qui hanc editionem curavit, nullo scripto libro usus est, aut si usus est, nullo tamen alio, nisi eodem codice, ex quo Sennetoniana editio repetita erat; in hoc autem codice librum nostrum „Corpus legum“ dictum fuisse princeps editio ostendit; ergo nomen illud „Brachylogos“ a Pesnoto, vel quisquis illam editionem curavit, pro lubitu confictum esse apparet; neque scio an plane falsus sim, qui coniecturam ceperim Ioannis Reuchlini s. Capnionis dictionarium Latinum, quod sub Breviloqui nomine Basileae apud Amerbach. cIↃccccLxxx. fol. primum prodiit[g]), et quod alia quoque lexica Latina eandem inscriptionem in fronte gerentia secuta esse scio, causam illi nomini dedisse;

---

g) Cf. dissert. de praecipuis lexicis Lat. praemissam Londinensi et Basileensi editionibus R. Stephani thes. ling. Lat. itemque I. Matth. Gesneri thes. l. L.

nam βραχυλόγος et *breviloquus* idem verbum adiectivum est. Apparet de genuino atque antiquissimo libri nomine sive inscriptione parum certi nos scire. itaque Corporis legum nomine, codicis auctoritate probato, aut Brachylogi, usu longaevo recepta inscriptione, pro lubitu utamur.

VII. DE LIBRI UTILITATE.

Savinius plerosque, ait, parvi Brachylogum facere, neque id ab omni parte iniuria fieri; inepte enim eum esse acturum, qui hunc libellum in manum sumat, ut de iure Romano aut aliquid novi aut ipsas res tritas atque vulgares quam ex aliis recentioribus libris rectius condiscat. At contra (liceat mihi pauxillum ex Savinii persona loqui) summi faciendus est ille liber, si quis de eius ad historiae studium usu quaerat: nam aut scriptus non est circa annum cIↄc., neque in Lombardia scriptus est, aut Brachylogus ut glossatorum praecursor nos edocet illis temporibus nequaquam omnem iuris doctrinam neglectam, sed, tametsi a paucis hominibus coleretur, tamen gnaviter ab iisdem sciteque tractatam esse. neque, si quis diligentiorem huic libro dabit operam, dubito, quin alia quoque perutilia ex eo elicere possit; profecto hauc pauca recentiori iuris doctrinae propria, quae glossatoribus deberi vulgo existimantur, ex Brachylogo, nisi mea me fallit opinio, explicanda erunt. verum eius, quippe iuris artem tractantis, ad dogmatum iuris historiam excolendam utilitas non erit eadem, ac esse poterit Petri exceptionum legum Romanorum, hoc est ut ex

thino commentario (cf. pag. 145.) in librum nostrum transiisse. at cautius esse existimo dubitare, utrum ex illis ipsis auctoribus, an ex sui temporis trivialibus libellis illos locos, et si quae alia de hoc genere sunt, scriptor deprompserit. Cf. pag. 131. not. *b*.

VI. DE INSCRIPTIONE LIBRI.

Manu scripti codices Brachylogi nullam inscriptionem produnt, praeter Vindobonense exemplar, in quo libello nostro ineptum „Summae Novellarum Constitutionum Iustiniani imp.“ nomen inscriptum est. „Brachylogi“ nomen, quod per multos abhinc annos libro, de quo tractamus, imposuerunt, primum offendimus in priori Pesnotiana editione (cf. Ind. editt. N°. III.); sed qui hanc editionem curavit, nullo scripto libro usus est, aut si usus est, nullo tamen alio, nisi eodem codice, ex quo Sennetoniana editio repetita erat; in hoc autem codice librum nostrum „Corpus legum“ dictum fuisse princeps editio ostendit; ergo nomen illud „Brachylogos“ a Pesnoto, vel quisquis illam editionem curavit, pro lubitu confictum esse apparet; neque scio an plane falsus sim, qui coniecturam ceperim Ioannis Reuchlini s. Capnionis dictionarium Latinum, quod sub Breviloqui nomine Basileae apud Amerbach. cIɔcccclxxx. fol. primum prodiit[g]), et quod alia quoque lexica Latina eandem inscriptionem in fronte gerentia secuta esse scio, causam illi nomini dedisse;

---

g) Cf. dissert. de praecipuis lexicis Lat. praemissam Londinensi et Basileensi editionibus R. Stephani thes. ling. Lat. itemque I. Matth. Gesneri thes. l. L.

nam βραχυλόγος et *breviloquus* idem verbum adiectivum est. Apparet de genuino atque antiquissimo libri nomine sive inscriptione parum certi nos scire. itaque *Corporis legum* nomine, codicis auctoritate probato, aut *Brachylogi*, usu longaevo recepta inscriptione, pro lubitu utamur.

VII. DE LIBRI UTILITATE.

Savinius plerosque, ait, parvi Brachylogum facere, neque id ab omni parte iniuria fieri; inepte enim eum esse acturum, qui hunc libellum in manum sumat, ut de iure Romano aut aliquid novi aut ipsas res tritas atque vulgares quam ex aliis recentioribus libris rectius condiscat. At contra (liceat mihi pauxillum ex Savinii persona loqui) summi faciendus est ille liber, si quis de eius ad historiae studium usu quaerat: nam aut scriptus non est circa annum cIɔc., neque in Lombardia scriptus est, aut Brachylogus ut glossatorum praecursor nos edocet illis temporibus nequaquam omnem iuris doctrinam neglectam, sed, tametsi a paucis hominibus coleretur, tamen gnaviter ab iisdem sciteque tractatam esse. neque, si quis diligentiorem huic libro dabit operam, dubito, quin alia quoque perutilia ex eo elicere possit; profecto hauc pauca recentiori iuris doctrinae propria, quae glossatoribus deberi vulgo existimantur, ex Brachylogo, nisi mea me fallit opinio, explicanda erunt. verum eius, quippe iuris artem tractantis, ad dogmatum iuris historiam excolendam utilitas non erit eadem, ac esse poterit Petri exceptionum legum Romanorum, hoc est ut ex

eo discamus quae in foris obtinuerint[h]); quod si quis nosse voluerit doctrinae artes quaenam tum fuerint atque etiam nunc ab iis inde temporibus observentur, multum ex definitionibus, distinctionibus atque verborum expositionibus illo libro traditis proficere poterit.

Haec fere Savinius, ad cuius monita quasi corollaria liceat quosdam Brachylogi locos memorabiliores enumerare, quorum partim docti alicuius interpretis sagacitatem requirere videntur. §. 3. qui manum. poss. I. 6. „item impubes manumittere non potest.“ Mihi quidem videtur hic locus a iure Romano recedere; sed forsitan quis dixerit subintelligendum esse „sine tutoris auctoritate“ (Cf. Gai. L. 9. §. 1. D. de auct. tut. XXVI. 8. Vid Weis. supra p. LXXIII. i. f.) — §. 6. de his qui sui I. 8. „Liberorum autem „alii civiles et naturales, alii naturales tantum, alii „civiles tantum“. quae distinctio in iis, quae sequuntur, fusius tractatur, ubi inter alia etiam dictum est (§. 12. ... 17. de nupt. I. 9.) „Iure .. civili non cogniti ... „etiam civiles fieri possunt, si ...., vel si matrem „eorum usque quo die defunctus est, in contubernio „habuerit [pater].“ Cf. Püttmann. supra pag. LXVIII. sqq. — §. 8. de adopt. I. 10. „.. qui t r e s filios habet „in potestate q u a r t u m adoptare non potest“. —

h) Liceat mihi dubitare an in hac re parum Brachylogo tributum sit. Optime, ut solet, v. cel. Cramerus (in *Zeitschr. für geschichtl. R. W. vol. I. p.* 315.) monuit non omnem Brachylogi dotem ex definitionibus nequaquam contemnendis constare, sed multis aliis quoque nominibus perutilem esse libellum. id quod idem ille vir exemplo ad historiam Latinitatis ICtorum respicienti demonstravit, aliisque quibusdam exemplis mox distinctius ipse probavero.

§. 3. quo modo tutores dentur I. 14. „.. nec magistratus [recte tutores dantur].“ — §. 4. tit. cit. „Creantur vero tu-„tores ex inquisitione et satisdatione. inquiritur enim „utrum sint locupletes et diligentes. §. 5. testamentarii au-„tem non inquiruntur. satisdatione tamen hi, qui legitimi „et dativi, onerantur... §. 6. sine satisdatione enim nemo „idoneus tutor est.“ — Distinctius, quam alibi me legere memini, de possessione adquirenda aut amittenda Noster §. 2. de tradit. et possess. II. 8. loquitur: „pos-„sessio, .. animo et corpore nobis adquiritur: solo „animo retinetur, soloque animo amittitur.“ — Neque §. 5. eiusd. tit. nobis omittenda est: „igitur si aliquo „titulo praecedente a domino, aut ab alio domini vo-„luntate, res nobis tradatur, eius dominium nobis „quaeritur. iusti autem tituli sunt &c.“ — §. 1. de praescr. XXX annor. II. 11. „hae .. personae „[venerabilis domus vel fiscus] non nisi XL anno-„rum praescriptione removentur.“ — §. 7. eiusdem tituli legitur: „Adversus .. tricennalem praescriptio-„nem ... minores .. iuvantur .. per restitutionem in „integrum .... nisi ... contra matrimonium „... restitui postulent.“ — §. 4. de donation. II. 13. „Propter nuptias donationum alia est dos, alia „propter nuptias tantum donatio.“ — §. 6. de ser-vit. praed. II. 15. „Constituuntur .. servitutes testa-„mento, pactionibus; adquiruntur etiam longi tempo-„ris praescriptione“. — §. 3. de usu II. 16. „qui .. „usumfructum habet ... et alium usufructuarium con-„stituere potest.“ — §. 4. 5. de testam. II. 19. „In te-„stamento .. sine scriptis septem testibus adhibitis so-

„la voluntas testatoris ... exigenda est. Haec autem „observatio .... rusticis remissa est; quocunque enim „modo voluntas eorum pateat, legitimum sortientur „effectum." — Portio legitima nomine *Falcidiae* venit §. 3. de lib. exher. II. 23. tit. de lege Falcidia II. 24. §. 2. de retent. Falc. II. 29. §. 4. de iniust. irrit. II. 33. — Quis intestatus sit, melius quam institutionibus (pr. de her. q. ab intest. defer. III. 1.) expressum est §. 3. de codicill. II. 32. — Ex persona legis latoris loquitur Noster §. 3. de her. q. ab int. II. 34. „non concedimus". — Quae §. 4. de empt. & vend. III. 13. dicuntur „.. ita venditionem posse contrahi ad„missum est, ut tanti res sit empta, quanti Titius ae„stimaverit: quod si Titius aestimaverit pretium, tanti „erit emptio; sin vero Titius minime arbitraverit, ar„bitrio boni viri contracta emptio intelli„gitur" iuri Iustinianeo contraria sunt. — §. 5. de mand. III. 16. „Mandatum tam „morte, quam duabus capitis diminutionibus .... finiri „constat." — Acceptilationis definitionem, quam §. 3. quib. mod. obl. toll. III. 18. exhibet, laudavit v. cl. Cramerus loco, quem not. *x.* pag. 107. citavi. — §. 5. de damno iniur. III. 22. „.. si iure damnum datum est, veluti si ... occidero „... adulterum in ipso adulterio cum uxore mea de„prehensum, si cum contestatione id fecero." — §. 1. de pers. iud. interv. IV. 3. „Personarum [iu„diciis intervenientium] quaedam sunt necessariae, „quaedam utiles tantum. *etc.*" — §. 1. quib ex caus. pers. prohib. IV. 4. „Qui .. prohibentur [a iudiciis] „alii prohibentur aetate, alii morbo, alii casu, alii

„condicione, quidam sexu, quidam religione, quidam „moribus, quidam etiam ob specialem causam, quidam „ob familiam, quidam munere; item qui prohibentur, „quidam prohibentur certis causis vel certis personis „intervenientibus, quidam vero perpetuo“. — Nihil dico de aetate, quae §. 2. eod. tit. praefinitur, ut quis aut advocatus aut iudex esse possit; video enim hanc rem iuris controversi esse. — De §. 18. tit. cit. fusius dictum est. — §. 12. de iurisdict. IV. 5. „Iurisdictio est „iuris dicendi ius. haec autem alia voluntaria, alia „contentiosa: *etc.*“ — In §. 2. de temp. iud. IV. 7. quaedam esse ex iure postiustinianeo superius monui. — §. 1. de loco ubi quis agere IV. 8. „Locus conside„ratur in iudiciis, ubi quis agere vel conveniri debeat. „ubi enim quis domicilium habet, aut ubi contraxit „vel deliquit, aut ubi res sitae sunt, si in rem agitur, „apud eius loci iudicem conveniri debet..“. — §. 1. 2. de causis IV. 9. „Causa .. est ante eum, qui iuris„dictioni praeest, agentis et rei controversia. haec „alia civilis, alia criminalis ... in hac autem [civili „causa] quaedam considerari oportet, quae eam prae„cedunt, quaedam quae insunt, quaedam quae sequun„tur. causam praecedit actionis editio, in ius vocatio, „libelli conventio; et hoc ordine certo. *etc.*“ — Libellum inscriptionis, qui §. 4. tit. cit. exhibetur, iam in superioribus aliquotiens attigimus. — §. 2. de in ius voc. IV. 10. „In ius .. vocare patronum prohibetur liber„tus, praeterquam si veniam edicti impetraverit. quod „si adversus hoc facere ausus fuerit, quingentorum „aureorum poena multabitur“. — §. 1. de lit. cont.

IV. 13. „.. lis .. contestata tum videtur, cum utra-„que parte praesente unus proponit, alius contradicit". — Quae §. 2. eod. tit. proposita sunt, „ . contestatione „actiones, quae temporales erant, vel quae in heredem „transire non poterant, seu quae iam fere praescri-„ptione exclusae erant, et in heredem et perpetuae „efficiuntur, nec ulla nisi tricennali praescri-„ptione post litis contestationem habitam excludun-„tur." cum Iustiniani constitutione non conspirare monui not. *k*. pag. 151. — §. 1. de quaest. fact. IV. 14. „Controversia .. triplex est: aut enim erit facti, „aut nominis, aut iuris: *etc.*" — Actionum divisio, quae tit. ex quo iure prof. act. IV. 20. proponitur, satis memorabilis est, sed in hac re foedissimus scriptoris lapsus culpandus est dicentis (pag. 159.) „Iure prae-„torio proditae sunt actiones in rem, veluti „de servitutibus praediorum urbanorum et „rusticorum." — §. 3. de interd. IV. 28. Carbonianum edictum inter interdicta enumeratur. — In definitione exceptionis (tit. de exc. IV. 29.) est aliquid nostris ICtis plus aequo neglectum: „Est.. exceptio contra „actionem ipso iure tenentem. *etc.* ... si enim „non tenet actio, nullo modo locum habet exceptio, „cum is, qui convenitur, iure quidem non tenetur „stricto". — In enumeratione poenarum (tit. de publ. iud. IV. 32.) quaedam sunt, quae altiore indagine haud indigna videntur. singula autem non recenseo, ne lectorem diutius ab ipso opere, lectu sane dignissimo, detineam.

CORPORIS LEGUM

SIVE

BRACHYLOGI IURIS CIVILIS

LIBRI QUATTUOR

CUM COMMENTARIIS CRITICIS ET LOCORUM SIMILIUM ANNOTATIONE.

SCRIPTURAE COMPENDIORUM EXPLICATIO.

a.	= editio Lugdun. 1551. [Ind. edd. N. II.], quae Apelli dialogum continet.
add.	= addit *s.* addunt
b.	= editio Heidelb. 1570. [Ind. edd. N. IX.]
C.	= codicis Vindobon. [Ind. codd. mss. N. II.] collatio, quam v. cl. Cramero debeo.
Cf.	= Confer *s.* Conferatur *vel* Conferantur
editi	= omnes editi, quos equidem conferre potui, eosdemque in indice editt. asterisco praeposito insignivi.
om.	= omittit *s.* omittunt
pe.	= editio Pesnotiana altera 1559. [Ind. edd. N. VI.]
pe. 1553.	= editio Pesnotiana prior 1553. [Ind. edd. N. III.]
po.	= editio Hug. a Porta 1553. [Ind. edd. N. IV.]
po. 1558.	= edit. Hug. a Porta 1558. [Ind. edd. N. V.]
pr.	= editio Prateiana 1567. [Ind. edd. N. VIII.]
pr. 1562.	= edit. Prateiana prior [Ind. edd. N. VII.]
p. p. p.	= editiones Pesn. 1559. Hug. a Porta 1553. Prateiana 1567. [Ind. edd. N. VI. IV. VIII.]
R.	= codex Regiomontanus [Ind. codd. mss. N. III.]
re.	= editio Reusneriana [Ind. edd. N. XV.]
s.	= editio Sennetoniana [Ind. edd. N. I.]
sg.	= editio Senckenbergiana [Ind. edd. N. XXI.]
V.	= codex Vaticanus [Ind. codd. mss. N. I.]
Vid.	= Vide *s.* Videatur *vel* Videantur
Vr.	= codex Vratislaviensis [Ind. codd. mss. N. IV.]
( )	[vid. pag. CXII.
[ ]	[vid. pag. CXII.

[*a* — — — *a* significat notam *a* referendam esse ad ea, quae utraque littera *a* includuntur. Ceterum notae post ea verba, ad quae singulae annotationes respiciunt, positae sunt.

Iuliani epitome ex P. Pithoei editione Basil. ex off. P. Pernae. 1576. fol. usus sum.

Ulpianus de edendo. ed. G. A. Meywerth et E. Spangenberg. Götting. 1809. 8°.

Vocabularius utriusque iuris *etc.* 1530. 8°. (*in fine est:* Lugduni ap. Ioannem David, alias la mouche.)

CORPUS LEGUM

SIVE

B R A C H Y L O G U S

IURIS CIVILIS.

PARS PRIMA

SIVE

LIBER PRIMUS.

TITULUS I.

DE IUSTITIA ET IURE [a].

1. Iuri operam daturum prius nosse oportet, unde I.
iuris nomen descendat: est autem[b] a iustitia appella-
* tum[c]. 2. Iustitia autem[d] est constans et perpetua II.
voluntas [g ius[e] suum unicuique[f] tribuens[g]. 3. Ius
vero[h], ut Celsus definivit, est aequitas constituta,
[i vel praeceptum boni et aequi[i]. 4. [k Huius quidem

[a) *Eadem rubrica in V.;* De iuris definitione et eius divisione. *b.* [b) enim *C. s. a. p. p. p.* [c) ius *add. R.* [d) autem *om. R. b. sg.* [e) ius *om. Vr. sg.* [f) cuique *C. R. sg.* [g) tribuens unicuique, quod suum est *b.* [h) autem *b.* [i) vel... aequi *om. V.*

---

1) Ulpian. L. 1. pr. D. de iustitia et iure I. 1.

2) Pr. Inst. de iust. et iure I. 1. *i. e.* Ulp. L. 10. pr. D. tit. cit.

3) Cf. Ulpian. cit. L. 1. pr. D. eod. tit.

4) §. 1. Inst. tit. cit. *i. e.* Ulp. cit. L. 10. D. §. 2.

prudentia[k] est divinarum atque humanarum rerum
III. notitia, iusti atque iniusti scientia. 5. Eius[l] praecepta
sunt honeste vivere, alium[m] non laedere, ius[n] suum
unicuique[o] tribuere. 6. Virtus eiusdem est ⌈[p] impe-
IV. rare, permittere, vetare, punire[p]. 7. Huius autem
studii duae sunt positiones[q], publicum ius[r] et priva- *
tum. publicum ius[s] est[t] quod ad statum reipubli-
cae pertinet; privatum[u] est[x] quod ad singulorum
V. utilitatem[y] spectat. 8. Et prius quidem[z] dicendum
videtur[a] de iure privato, quod est ⌈[d] tripertitum[b]; colle-
ctum est enim[c] ex[d] naturalibus praeceptis, vel gen- *
tium, vel civium.

TITULUS II.

DE IURE NATURALI GENTIUM ET CIVIUM[a].

I. 1. Ius naturale est quod natura docuit omnia ani-
malia, ut[b] maris et feminae coniunctio, filiorum-
que[c] procreatio et educatio. huius enim iuris peritia[d]

[k) Iurisprudentia *b*. [l) iuris *add. b*. [m) aliquem *Vr.* alterum *b*. [n) ius *om. C. Vr. s. a. p. p. p. sg.* [o) cuique *R. sg.* [p) facienda imperare, permittere licita, vetare non facienda, punire illicita *b*. [q) sunt duae positiones *C.* sunt duae propositiones *Vr.* duae sunt divisiones *b*. [r) ius publicum *Vr. b. sg.* [s) ius *om. b*. [t) est *om. R.* [u) ius *add. V. Vr.* [x) est *om. b*. [y) utilitatem singulorum *Vr.* [z) Et quidem prius *Vr.* [a) Et prius videndum videtur *b*. [b) tripartitum *editi praeter b*. [c) enim est *V*. [d) tripertite collectum. Est enim ex *b*.

TIT. II. [a) *Rubricam om. b*. [b) sunt *add. Vr. s. a.p.p.p. sg.* est *add. C. b*. [c) filiorum *V. Vr.* liberorumque *sg.* [d) peritia *om. b*.

---

5) §. 3. Inst. tit. cit. *i. e.* Ulp. cit. L. 10. D. §. 4.
6) Mod. L. 7. D. de legg. I. 3.
7) §. 4. Inst. tit. cit. *i. e.* Ulp. cit. L. 1. D. §. 2.
8) Cit. §. 4. Inst. cf. Ulp. cit. L. 1. D. §. 3.
TIT. II. 1) Cf. pr. Inst. de iu-

non solum homines, sed etiam ⌈[e] cuncta animalia [e]
censentur. 2. Ius gentium est [f] quod gentes ⌈[g] humanae II.
sibi ipsae constituerunt [g]. huius autem [h] iuris sunt [i]
emptio venditio [k], locatio conductio, societas, manda-
tum, depositum, mutuum, pignus, permutatio, commo-
datum et [l] paene omnes contractus. ⌈[n] paene dictum est
propter contractus donationis [m], stipulationis, emphyteu-
seos [n], qui iuris civilis sunt. 3. Ius civile est quod III.
unaquaeque [o] civitas sibi ipsa [p] constituit. 4. Dividi-
tur ⌈[q] etiam ius in [q] scriptum et non scriptum. 5. Iuris IV.
scripti partes sunt [r] hae: lex, plebi scitum, senatus
consultum, principum placita, magistratuum edicta,
responsa prudentum. 6. Lex est quod populus Roma- V.
nus [s] constituit, senatorio magistratu [t], veluti consule,
interrogante [u]. ⌈[x] Plebi scitum est [v] quod plebs consti-
tuit, plebeio magistratu [t], veluti [w] tribuno, interrogante [x].

[e) animalia cetera *Vr.* caetera animalia *C. s. a. p. p. p. sg.* omnia caetera animalia *b.* [f) est *om. C.* [g) sibi ipsis constituerunt *Vr.* sibi constituere *b.* [h) autem *om. b.* [i) „(*praeter bella, captivitates, servitutes* Reusn.)“ *add. sg.* [k) venditio emptio *V.* [l) ac *sg.* [m) „(*ob nuptias* Reusn.)“ *add. sg.* [n) Pene autem est adiectum propter contractum stipulationis, donationis, emphiteosis, literarum obligationis *b.* [o) quaeque *b.* [p) ipsi *Vr.* ipsa *om. b.* [q) autem et ius in *C.* exhinc in ius *s. a. p. p. p. sg.* autem omne ius in *b.* [r) sunt partes *C. Vr. s. a. p. p. p. sg.* [s) Romanus *om. C. Vr. s. a p. p. p. sg* [t) interrogante *hic inserit*, *mox omittens b.* [u) etc. *add. Vr.* [v) est *om. b.* [w) id est *V. R.* [x) *In V. haec verba* plebiscitum est quod

---

re nat. gent. I. 2. *i. e.* Ulp. L. 1. §. 3. D. de iust. et iure I. 1.
2) Cf. §. 2. Inst. tit. cit. Ulp. L. 1. §. 4. D. tit. cit. Hermogenian. L. 5. D. eod.
3) Cf. §. 1. Inst. tit. cit. Vid. Ulpian. L. 6. pr. D. tit. cit.
4) Cf. §. 3. Inst. tit. cit. et Ulp. cit. L. 6. §. 1.
5) Cf. cit. §. 3. Inst. et Papin. L. 7. pr. D. tit. cit.
6) Cf. §. 4. Inst. tit. cit. Vid.

plebs autem differt a populo eo quod appellatione populi universi cives[y] continentur, plebis vero appellatione ceteri praeter patricios et senatores[z]. sed plebi scita[a] lege Hortensia lata[b] non minus auctoritatis[c] habent quam leges. 7. Senatus consultum est quod senatus iussit atque[d] constituit. nam cum ita auctus esset[e] populus[f], ut facile in unum[ff] convenire non posset[g] legis sanciendae causa[h], omne imperium condendarum VI. legum ⌈[i] traditum est a populo senatui[i]. 8. Principis[k] placita sunt quod[l] iubet imperator atque constituit. quod enim[m] principi placuit[n] legis habet[o] vigorem. hae[p] etiam[q] constitutiones vocantur: quarum quaedam * sunt communes, quae in omnium causis valent; quaedam singulares, quae in una tantum causa[r] vel persona valentes[s] ad exemplum trahendae non sunt; haec[t] autem[u] privilegia vocantur. est enim privilegium ius singulare certis ex causis contra ius commune

plex [*sic*] constituit plebeio magistratu id est tribuno interrogante *librarii errore hic omissa inter* sed plebiscita *et* lege ortensia *collocata sunt.* [*y*) cives *om. C.* [*z*) senatores et patritios *b.* [*a*) *Cf. nota x.* [*b*) lata *om. R. Vr. s. a. p. p. p. sg.* [*c*) authoritatem *b.* [*d*) et *Vr.* [*e*) est *b.* [*f*) romanus *add. Vr.* [*ff*) in unum *om. C.* [*g*) possit *b.* [*h*) legis condendae gratia *b.* [*i*) a populo senatui traditum est *C. R. sg.* a populo traditum est senatui *b.* [*k*) Principum *b.* [*l*) quae *C. R. s. a. p. p. p. sg.* [*m*) autem *R.* [*n*) placuit principi *b.* [*o*) habet legis *Vr.* [*p*) haec *Vr.* [*q*) etiam *om. R.* enim *Vr. s. a. p. p. p. sg.* [*r*) causa tantum *Vr.* [*s*) tantum causa valentes, vel persona *s. a. p. p. p. sg.* [*t*) Hae *b.* [*u*) etiam *V. b.* et *C. Vr.* autem *om. s. a. p. p. p. sg.*

Gai. L. 238. pr. D. de verb. significationibus L. 16.
7) Cf. §. 5. Inst. tit. cit. Vid. Pompon. L. 2. §. 9. D. de origine iuris I. 2.
8) Vid. §. 6. Inst. tit. cit. et Ulp. L. 1. D. de constitutionibus principum I. 4.

introductum. 9. in privilegiis autem considerandum
est[x], ut non[y] contra ius eliciantur[z]. ait enim lex
„Rescripta contra ius elicita ab omnibus iudicibus prae-
„cipimus refutari. ea enim, quae contra ius[a] fiunt[b],
„pro infectis habenda sunt.“ 10. Responsa prudentum VII.
sunt sententiae et opiniones eorum, quibus datum
erat[c] a Caesare ius respondendi[d], veluti[e] Gaii[f], Ul-
piani, Papiniani[ff] et ceterorum, quorum nomina et opera
in digestis[g] continentur. 11. Magistratuum edicta sunt VIII.
ea[h], quae praetores constituerunt. [hoc etiam ius ho-
norarium appellatur eo quod ab eis constitutum est[i],
qui honores[k] gerebant[l]. huius autem[m] pars[n] sunt

[x) est *om. Vr.* [y) ut *Vr.* utrum *s. a. p. p. p. sg.* [z) elicia-tur *Vr.* [a) ius *om. R.* [b) fuerit *V.* [c) est *C. Vr. s. a. p. p. p. b. sg.* [d) ius interpretari *b.* [e) id est *V.* [f) *sic V. R. Vr.* Caii *habent C. et editi libri.* [ff) Ulpiniani (*om.* Papiniani) *C.* [g) quorum opera et nomina in ff. *b.* Pandectis *sg.* [h) ea *om. V.* haec *C. Vr. pr. pe. sg.* heae *s. po.* [i) statutum est *V. b.* constitutum sit *C.* [k) „(*id est, magistratus* Reusn.)“ *add. sg.* [l) *Haec V. in margine habere videtur.* [m) etiam *C. Vr. s. a. p. p. p. b. sg.* [n) partes *b.*

---

9) Lex est Theodos. et Valent. const. 7. Cod. de precib. imper. offer. I. 19: „Rescripta „contra ius elicita ab omnibus iudicibus refutari praecipimus, nisi forte sit aliquid, quod non laedat alium „et prosit petenti, vel crimen „supplicantibus indulgeat.“ Adde eorundem const. 5. Cod. de legib. I. 14. „. . . ut ea, „quae lege fieri prohibentur, „si fuerint facta, non solum „inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator fieri prohibuerit tantum, „nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum „est. cet.“

10) Cf. §. 8. Inst. tit. cit. Vid. Pomp. L. 2. §. 47. D. de or. iur. I. 2. (coll. Iust. const. 12. §. 1. i. f. Cod. de legib. I. 14. et const. *Deo auctore* §. 4.)

11) Cf. §. 7. Inst. tit. cit. Vid. Pompon. cit. L. 2. §. 10.

IX. edicta aedilium curulium [o]. 12. Ex non scripto ius *
venit [p] quod usus comprobavit [q]. nam consuetudinis *
ususque longaevi non levis [r] est auctoritas [s], ⌈[v] verum
non [t] adeo sui valitura momento [u], ut aut rationem vin- *
X. cat, aut legem [v]. 13. Viso autem [x] quid sit [y] ius et
eius partes, videndum est [z] circa quid [a] versetur. ver-
satur autem [b] circa res [c], vel personas [d], vel actiones. *
et primitus [e] de personis, quia earum causa omnia [f]
iura constituta sunt, dicendum est [g].

TITULUS III.

DE IURE PERSONARUM [a]. *

I. 1. Summa itaque [b] divisio de iure [c] personarum haec *
est, ⌈[e] quod omnes homines [d] aut liberi sunt, aut ser-
II. vi [e]. 2. Et libertas quidem est naturalis facultas eius, *
quod cuique [f] facere libet, nisi [g] quod [h] vi [i] aut iure

---

[o) currulium *V.* [p) est *b.* [q) comparavit *V.* probavit *b.* [r) vilis *C. Vr. s. a. p. p. p. sg.* [s) auctoritatis *V.* [t) usque *add. C.* [u) monito *cui* firmamento *suprascriptum* [?] *V.* [v) verum ... legem *om. b.* [x) iam *b.* [y) sit *om. b.* [z) etiam *add. b.* [a) quod vero *R.* quod *C. b. s. a. p. p. p. sg.* [b) autem *om. R.* [c) rationes *V.* [d) circa personas, res *b.* [e) primo *b.* quidem *add. sg.* [f) omnia *om. b.* [g) tanquam de re nobiliore *add. b.* TIT. III. [a) *Eadem rubr. est in marg. V.* [b) igitur *V. b.* [c) de iure *om. C.* [d) hominum omnium *V.* omnium hominum *C. R. s. po. pe.* omnium *Vr.* [e) Hominum alii sunt liberi, alii servi *b.* [f) eius quodcunque *Vr.* [g) nisi *om. R.* [h) quid *C. pr. sg.* [i) vi *om. Vr.*

---

12) Cf. §. 9. Inst. tit. cit. Vid. L. 32. seqq. D. de legib. I. 3.
13) Cf. §. 12. Inst. tit. cit. Vid. Gai. L. I. Hermogen. L. 2. D. de statu homin. I. 5.

TIT. III. 1) Pr. Inst. de iure pers. I. 3. *i. e.* Gai. L. 3. D. de statu hominum I. 5.
2) Pr. [§. 1. edd. Cuiac.] Inst. t. c. *i. e.* Flor. L. 4. pr. D. t. c.

prohibetur. 3. Servitus autem est iuris gentium constitutio[k], qua quis dominio[l] alieno contra naturam subiicitur. 4. iure enim naturali omnes homines liberi nascebantur. 5. Servi autem aut nascuntur, aut III.
fiunt. nascuntur ex ancillis nostris: fiunt autem[m] iure gentium, scilicet[n] ex captivitate; aut[o] civili, ⌈1 cum[p] homo liber maior viginti annis[q] emptori ignoranti[r] eum liberum se venumdari ad participandum pretium passus est. 6. Et in servorum quidem condicione[s] nulla differentia[t] est. in liberorum[u] vero statu multae differentiae sunt[x]: aut enim ingenui sunt, aut libertini.

TITULUS IV.
DE INGENUIS[a].

⌈1 Ingenuus est qui ex libera matre[b] nascitur. nec

89,8. *stipulatio.* Iulius Paulus receptarum sententiarum lib. 5. c. 8. Obligationum, inquit, firmandarum gratia stipulationes introductae sunt, quae quadam verborum solemnitate concipiuntur, et appellatae, quod per eas firmitas obligationum constringitur. stipulum enim firmum veteres appellavere. *pe.*

90,11. *pupillus...stipulatur.* Idcirco pupillus non obligatur, cum ex converso is, qui cum eo contrahit, obligatur ei; quia meliorem conditionem suam minori[m] facere licet, deteriorem vero minime. *s. etc.*

91,4. *fideiussores.* Fideiussor est qui et ipse ad maiorem creditoris cautelam obligatur. ut instit. de fideiussorib. in princ. et L. 2. ff. eod. tit. *pe.*

92,2. *a principali reo...consequi.* Hoc enim natura aequum est, ut non aliter is gravetur, qui pro alieno debito suam fidem obstrinxit, quam si reus principalis solvendo non esse cognoscatur. *b.*

93,6. *constitutores.* Id est debitor es[n] ex aliqua causa et postea alius volente creditore debitum in se transfert et se facit debitorem. *s. etc.*

93,11. *scriptura . . obligatio.* Paulus lib. 21. ad edict. Non figura, inquit, literarum, sed oratione, quam exprimunt literae, obligamur; quatenus placuit non minus valere[nn], quam quod vocibus lingua figuratis significaretur. L. non figura ff. de act. et oblig. *pe.*

[94,8. *Consensu.* Id est cum nec res, nec verba, nec[o] scriptura exiguntur. *s. etc.* |*om. pe.* 1559.|]

— *solus consensus. etc.* Obligationes ex consensu dicuntur, ad quarum substantiam contrahentium consensus solum requiritur. In aliis vero praeter con-

---

gis placeret a praetore imposita. postea vero sol. *etc.*

m) suam cuique, *omnes praeter pe. utramque.*

n) debitorem *s. pe. utraque*, debente alio *a.* debitor est *po.* debitores *pr. utraque.*

nn) quod scriptura *adde.*

o) aut *add. s. pe.* 1553. *po.* 1558. aut (*om.* nec) *po.* 1553.

sensum opus est aliis adminiculis, utpote verbis, re aut literis. *pe.*

95. DE EMPT. ET VEND. Emptionem et venditionem ex permutatione originem sumpsisse Paulus lib. 23. ad edict. refert. L. 1. ff. de contrah. empt. *pe.*

95,1. *pretium.* Certum scilicet. fides enim empti et venditi sine quantitate nulla est. L. empti. C. de contrah. empt. *pe.*

[96,7. *libertate tuebitur.* Quia ex huius facto servus effectus non est. *s. etc.*]

96,8. *publicum usum.* Quomodo autem publica loca venumdari possint a communitatibus sive civitatibus adnotavit Bart. in L. continuus. §. cum quis. ff. de verb. oblig. *pe.*

[96,9. *ex certis causis.* Veluti redemptionis causa captivorum. *s. etc.*]

96,11. *ignoranti emptori.* Quamvis emptio propter rem, quae devenit in conventionem, ipso iure non valeat; attamen lex pro favore iustae ignorantiae emptoris atque odio scientiae venditoris actione ex empto venditorem conveniri[p] facit. *s. etc.* |*om. pe.*|

97,3. *Contracta..emptione.* Id est quae fideliter contracta esset de quibus pacisci licet. *s. etc.* |*om. pe.*|

97,4. *quod interest.* Id est ad eam utilitatem praestandam[q], quam consecutus esset emptor, si ei tradita secundum pactum fuisset. *s. etc.*

97,9. *de evictione cavere.* Ut si evincatur ab aliquo, qui ostendat suam esse vel sibi pignoratam, hoc[r] venditor emendet. *s. etc.*

[97,10. *evicta.* vel aliena vel alteri obligata esse ostendatur. *s. etc.*]

[97,11. *morbosa.* aut fur vel fugax esse ostendatur. *s. etc.*]

97,13. *quanto minoris.*[s] scilicet emisset, si ita morbosam

---

p) conveniri *om. s. po. pr. utraque.*

q) possidendam *omnes praeter utramque pe.*

r) hic *omnes.*

s) Hanc glossam omnes superiori ad 97,9. *coniunctam habent, praeter pe.* 1559., *quae eam omnino omittit.*

vel vitiosam eam scisset hic, intra annum. *s. etc.* |*om. pe.* 1559.|

97,14. *Periculum.* Id est si res perit ex toto vel deterioratur ex parte. *s. etc.*

— *Periculum.* Post perfectam venditionem omne commodum et incommodum, quod rei venditae contingit, ad emptorem pertinere, regulare — L. 1. C. de contrahenda empt. et L. necessario. ff. eod. —; nisi mora vel culpa venditoris intervenerit. *pe.*

100,6. *Serviana.* Qua tenentur[t] domino fundi pro mercedibus, quasi pignoris iure ea, quae colonus invehit et ducit in fundo, licet nulla conventio super his praecessisset. *s. etc.* |*om. pe.* 1559.|

— *Serviana.* Quae competit locatori in res inquilini aut conductoris, aedibus locatis invectas, pro annua mercede vel pensione locationis, et nonnunquam pro eo, quod deteriorem fecit habitationem; cum huiusmodi res, etiamsi nihil convenerit, tacitum sit pignus pro mercede non soluta atque eo, quod deterius est redditum, iuxta L. debitor. ff. de pignoribus et hypoth. et L. 2. ff. in quib.[tt] pignus vel hypoth. tacite contr. *pe.*

— *ius locationis.* Id est ius, quod habebat in re sibi locata. *s. etc.* |*om. pe.*|

100,7. *sterilitas.* Pro hac enim causa censum ei retinere permittitur. *s. etc.*

100,9. *Societas.* Societas est duorum vel plurium conventio, honeste contracta ob commodiorem usum et uberiorem quaestum. *pe.*

101,2. *percepit...impendit.* Si quid percepit, ad restituendum tenetur; si quid impendit, potest recuperare. *s. etc.*

101,3. *quicquid...exigit.* Quicquid bona fides exigit, id est quicquid ex natura pacti alterum alteri praestare[u] aequum est, hoc totum, licet nominatim non sit expressum, praestari convenit. *s. etc.* |*om. pe.* 1559.|

101,8. *Societas...coiri potest.* Rerum furtivarum et ge-

---

t) tenemur *omnes.* *tt*) causis *om. pe.* *u*) praestari *omnes.*

neraliter omnium inhonestarum societas contrahi non potest. *s. etc.* |*om. pe.*|

101,14. *ut unus.* Ut unus totum damnum, alter totum lucrum habeat, non deducto damno, non valet pactum. Damnum proprie dicitur ubi de nostro aliquid dimittimus[u], non ubi lucramur. *s. etc.* |*om. pe.* 1559.|

101,15. *Finitur..societas.* Dissolvitur autem societas et evanescit dissensu, renuntiatione, morte, capitis diminutione et egestate. L. sed et socius. et L. societatem. ff. pro socio. *pe.*

102,2. *contraria voluntate.* Licet contrario consensu utriusque vel alterius tantum societas solvatur, tamen actio pro socio etiam finita societate durat. *s. etc.*

102,5. *Mandatum. rel.* Mandatum, nisi gratuitum, nullum est: originem ex officio et amicitia trahit, cui contraria est merces. L. 1. §. mandatum. ff. mandati. *pe.*

102,8. *mandatarii.* Procurator est qui rem alienam domini mandato administrat. *s. etc.*

103,7. *iudicio mand. directo. etc.* Directum iudicium, quod competit mandanti contra mandatarium; contrarium, quod mandatario adversus mandantem. *s. etc.*

[103,10. *legem.* Veluti si praeceptum est, ut emat equum viginti: si potest, minus; ultra dare non debet. *s. etc.* |*om. pe.* 1559.|]

— *legem.* Mandati fines non excedendi. *pe.*

104,1. *in suam rem..procurator.* Veluti[v] si Titius quod Seius debebat vel donavit, actiones, ut adversus[x] Seium agerem, mihi mandavit. tunc enim in rem meam procurator sum, quia id, quod a Seio exigo, non Titio, sed mihi exigo. *s. etc.*

---

u) amittimus *legendum esse videtur.*

v) Vel *po. et pr. utraque.*

x) debebat sibi, et donavit et actiones, ut adversus *utraque pe.* debebat vel donavit actiones, ut vel adversus *pr. utraque. iam legendum videtur:* debebat sibi, mihi donavit et actiones, ut adversus Seium agerem mihi (*aut om.* mihi) *etc.*

[104,14. *contr. iudic. tut. consequetur.* id quod expendit, vel liberationem ab obligatione[y]. *s. etc.* |*om. pe.*|]

105,9. *indebitum...naturali.* Quod debitum est iure naturali, indebitum vero iure civili, repeti non potest, nisi favore solventis iure civili sit indebitum; veluti cum mulier pro alio intercedit, non solum contra creditorem petentem auxilio senatus consulti Velleiani potest se tueri, sed etiam ex ea causa solutum, licet iure naturali sit debitum, quia eius favore senatus consultum factum est, poterit repetere. si vero non favore solventis, sed alia causa sit indebitum iure civili tantum, solutum non potest repeti; velut cum filiofamilias mutua pecunia contra decretum amplissimi ordinis data sit: licet enim creditor petere non possit, attamen ei soluta repeti non potest. Quod ex causa transactionis, iudicati, vel ex qua lis infitiando crescit, solvitur, etsi indebitum sit, repeti non potest. *s. etc.*

105,12. *transactionis.* Transactio est pactum de re dubia ob aliquid datum vel promissum. *s. etc.*

106,10. *oblatione.*[z] Id est prius offeret creditori debitor; quod si nec tunc accipiet, deponit id quod debet in aedem publicam vel ecclesiam, et si quidem pecunia est, consignabit, et liberabitur. *s. etc.*

107,6. *acceptilatio.* Est autem acceptilatio secundum Modestinum, lib. 2. regularum, liberatio per mutuam interrogationem, qua utrisque contingit ab eodem nexu absolutio — L. 1. ff. de accept. — et haec solutio civilis est. *pe.*

107,14. *eodem modo dissolvi obl.* Veluti si re connexa est, re solvitur; si verbis, verbis; si consensu, consensu; si literis, literis. *s. etc.*

108,1. *ceterae..obl.* Quae solo consensu contractae non sunt. *s. etc.*

108,7. *contributio.* Modestinus compensationem [debiti] et crediti inter se contributionem appellat L. 1. ff.

---

y) ad obligationem *s. po. pr. utraque.*

z) Oblatum *praemittunt omnes.*

de compensat. Ob id introductam Pomponius lib. 25. ad Sabinum ratus, quod interest nostra potius non solvere, quam solutum repetere. L. ideo compensatio. ff. de compensation. *pe.*

109,1. *Ex malef... obligationes.* Obligationes ex maleficio omnes ex re nascuntur. *pe.*

109,3. *Furtum.* Furtum Paulus lib. 93. ad edictum dixit fraudulosam rei contrectationem esse lucri faciendi gratia, vel ipsius rei vel etiam usus eius possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere. L. 1. ff. de furt. *pe.*

109,5. *furvo.* [Furno *pe.*] Marcus Varro rerum divinarum lib. 14., ut Marcellus refert, furtum a furvo, hoc est atro, dici mavult, quod fures per obscuras noctes atque atras commodius faciliusque rebus nostris insidiantur; quod firmatur dicto Labeonis L. 1. ff. de furt. *pe.*

109,6. *ab auferendo.* Secundum Sabinum L. 1. ff. de furt. *pe.*

110,6. *si quidem putavi.* Excusatio furti in usu rei quando admittatur. *pe.*

110,14. *etiam servi corr.* Quae datur in duplum. Quod autem de servo hic dicitur, nos accommodabimus filiis, uxoribus et monachis corruptis vel solicitatis. L. ut tantum. ff. de servo corr. et Fabr. in §. placuit tamen. instit. de oblig. quae ex delict. nasc .*pe.*

111,5. *ope et consilio.* Furti tenetur, cuius ope et consilio furtum fit. *pe.*

111,7. *manifesti furti.* Poena furti hodie est arbitraria — L. fi. ff. eod. et L. fi. ff. de privat. delict. — sine tamen mortis vel membri abscisionis supplicio. Auth. sed novo iure. C. de serv. fugit. Fustibus igitur aut virgis verberabitur, ut vult Glo. probata. in dict. Auth. sed novo., quod intelligendum est de eo, qui semel tantum furatus est; alioqui si furari consueverit, aggravatur ultimum delictum per praecedentia. L. capitalium [a]. §. solent. ff. de poen.

---

a) captivum *fecit sg. ex Pesnoti* capilium.

[104,14. *contr. iudic. tut. consequetur.* id quod expendit, vel liberationem ab obligatione*y*. *s. etc.* [*om. pe.*]]

105,9. *indebitum...naturali.* Quod debitum est iure naturali, indebitum vero iure civili, repeti non potest, nisi favore solventis iure civili sit indebitum; veluti cum mulier pro alio intercedit, non solum contra creditorem petentem auxilio senatus consulti Velleiani potest se tueri, sed etiam ex ea causa solutum, licet iure naturali sit debitum, quia eius favore senatus consultum factum est, poterit repetere. si vero non favore solventis, sed alia causa sit indebitum iure civili tantum, solutum non potest repeti; velut cum filiofamilias mutua pecunia contra decretum amplissimi ordinis data sit: licet enim creditor petere non possit, attamen ei soluta repeti non potest. Quod ex causa transactionis, iudicati, vel ex qua lis infitiando crescit, solvitur, etsi indebitum sit, repeti non potest. *s. etc.*

105,12. *transactionis.* Transactio est pactum de re dubia ob aliquid datum vel promissum. *s. etc.*

106,10. *oblatione.* *z* Id est prius offeret creditori debitor; quod si nec tunc accipiet, deponit id quod debet in aedem publicam vel ecclesiam, et si quidem pecunia est, consignabit, et liberabitur. *s. etc.*

107,6. *acceptilatio.* Est autem acceptilatio secundum Modestinum, lib. 2. regularum, liberatio per mutuam interrogationem, qua utrisque contingit ab eodem nexu absolutio — L. 1. ff. de accept. — et haec solutio civilis est. *pe.*

107,14. *eodem modo dissolvi obl.* Veluti si re connexa est, re solvitur; si verbis, verbis; si consensu, consensu; si literis, literis. *s. etc.*

108,1. *ceterae..obl.* Quae solo consensu contractae non sunt. *s. etc.*

108,7. *contributio.* Modestinus compensationem [debiti] et crediti inter se contributionem appellat L. 1. ff.

---

y) ad obligationem *s. po. pr. utraque.*

z) Oblatum *praemittunt omnes.*

de compensat. Ob id introductam Pomponius lib. 25. ad Sabinum ratus, quod interest nostra potius non solvere, quam solutum repetere. L. ideo compensatio. ff. de compensation. *pe.*

109,1. *Ex malef... obligationes.* Obligationes ex maleficio omnes ex re nascuntur. *pe.*

109,3. *Furtum.* Furtum Paulus lib. 93. ad edictum dixit fraudulosam rei contrectationem esse lucri faciendi gratia, vel ipsius rei vel etiam usus eius possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere. L. 1. ff. de furt. *pe.*

109,5. *furvo.* [Furno *pe.*] Marcus Varro rerum divinarum lib. 14., ut Marcellus refert, furtum a furvo, hoc est atro, dici mavult, quod fures per obscuras noctes atque atras commodius faciliusque rebus nostris insidiantur; quod firmatur dicto Labeonis L. 1. ff. de furt. *pe.*

109,6. *ab auferendo.* Secundum Sabinum L. 1. ff. de furt. *pe.*

110,6. *si quidem putavi.* Excusatio furti in usu rei quando admittatur. *pe.*

110,14. *etiam servi corr.* Quae datur in duplum. Quod autem de servo hic dicitur, nos accommodabimus filiis, uxoribus et monachis corruptis vel solicitatis. L. ut tantum. ff. de servo corr. et Fabr. in §. placuit tamen. instit. de oblig. quae ex delict. nasc .*pe.*

111,5. *ope et consilio.* Furti tenetur, cuius ope et consilio furtum fit. *pe.*

111,7. *manifesti furti.* Poena furti hodie est arbitraria — L. fi. ff. eod. et L. fi. ff. de privat. delict. — sine tamen mortis vel membri abscisionis supplicio. Auth. sed novo iure. C. de serv. fugit. Fustibus igitur aut virgis verberabitur, ut vult Glo. probata. in dict. Auth. sed novo., quod intelligendum est de eo, qui semel tantum furatus est; alioqui si furari consueverit, aggravatur ultimum delictum per praecedentia. L. capitalium [a]. §. solent. ff. de poen.

---

a) captivum *fecit sg. ex Pesnoti* capilium.

Hinc consuetudine statutisque provinciarum inductum est, ut pro tertio furto fur suspendatur furca. per Doctores in d. Auth. sed novo iure. *pe.*

112,1. *transire.* Accursius tenet regulare esse, non teneri ex delicto defuncti heredem, nisi ante lis contestata sit cum defuncto, aut ipse locupletior factus sit. *pe.*

118,13. *uxori iniur. non tenebor.* Nisi forte tale convitium factum sit marito, quod et uxoris famam suggillet; quo casu aget suo nomine, non mariti: ut si obiectum sit viro, quod prostituerit uxorem, quod doctus sit, ut ait Iuvenalis,

spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso. *pe.*

119,9. *arbitraria.* In arbitrio posita, non certa quantitate terminata. *s. etc.*

120,4. *Haec actio... terminatur.* Idcirco iniuriarum actio, quae descendit ex iure praetorio, anno terminabatur, quia ipsius praetoris potestas anno finiebatur: quae vero ex iure civili descendit, non solum haec, sed generaliter omnes, non nisi triginta annorum curriculo finiuntur. *s. etc.*

121,6. *persequi criminaliter.* Criminalis accusatio ideo dicitur, quia cuivis ex populo datur. *s. etc.*

121,10. *litem suam fecerit.* Est autem litem suam facere male iudicando contra sese litem excitare [!], quod Graeci dicunt litem propriam facere. De qua oratione plura Budaeus in annott. ad pandectas. Ulpianus ad [*sic*] lib. 21. ad edictum iudicem tunc litem suam facere intellexit, cum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit. Dolo autem malo hoc facere videtur, si evidens arguatur eius vel gratia vel inimicitia vel etiam sordes: ut veram litis aestimationem praestare cogatur. L. si filius familias. ff. de iudic. *pe.*

122,9. *per imperitiam.* Quid[b] si corruptus sit et perperam iudicavit, poena varia est secundum delicti

b) *Aut legendum est* Quod *aut signum interrogandi post verbum* iudicavit *ponendum est.*

diversitatem. nam qui dolo malo perperam iudicavit, praeterquam quod infamia notatur, praestat omne interesse parti laesae. L. fin. C. de poen. iud. qui male iudic. et L. si filius familias. ff. de iudic. Quod si pecunia data vel promissa corruptus sit iudex in causa pecuniaria, dati triplum, promissi duplum luit, amissa dignitate: in causa vero criminali confiscatis bonis omnibus in exilium mittitur. Auth. novo iure. C. de poen. iudic. Quin et iudex, qui prece vel precio depravatus est, vel gratia, tenetur lege Iulia repetundarum; item de crimine concussionis et falsi, tum etiam edicto de calumnia, ut notatur in L. fin. C. de poen. iudic. *pe.*

LIBER QUARTUS.

123. DE ACTIONIBUS. Cum aliquis mecum contrahit, vel maleficium mihi facit, ius statim ex ipso contractu vel maleficio eum mihi vincit et obligat, quia vinculum iuris dicitur obligatio. Ad hoc vero exequendum et petendum, in quo mihi vinctus est, proditum est aliud ius, quod dicitur actio; quo iure eum, qui debet mihi ex contractu vel ex maleficio, ut id, quod mihi debet, solvat, cogo per iudicem. idem est[c] si quis rem meam possidet[d] . *s. etc.*

[**124,** 3. *certarum personarum.* id est actoris, rei, iudicis. *C.*]

124, 4. *in iudicio. cet.* In iudiciis quae considerentur. *pe.*

125, 9. *praecones. cet.* Praecones, qui vocantur executores, qui quod iudex praecipit exequuntur. assessores, qui assident iudici. scribae, qui scribunt gesta. *s. etc.*

125, 13. *admittitur.* Cum, unumquemque bonum esse, ius praesumere regulare sit. *pe.*

---

c) id est *habent s. po. pr. utraque.*

d) idem est ... possidet *om. pe. utraque.*

127,16. *per se consistere.* Quia per procuratores possunt. *s. etc.* |*om. pe.*|

128,3. *crimine perduellionis.* Perduellionis crimen est cum quis contra personam imperatoris vel contra rem publicam molitur. *s. etc.*

129,1. *Religione.* Religio est divini numinis cultus; superstitio vana religio. *s. etc.*

131,3. *Munere.* Munus quid sit docet iurisconsultus L. munus. 1. ff. de verb. sign. *s. etc.*

131,4. *Et generaliter.* Qualis esse debeat qui ad testimonium ducendus sit. *pe.* (*Cf. nota r. pag.* 132.)

132,5. *Iurisdictio.* Iurisdictio in genere sumpta est potestas de publico introducta cum necessitate iuris dicendi et aequitatis statuendae. Gloss. et ibi Bartol. in L. 1. ff. de iurisdict. omn. iudic. *pe.*

133,2. *mera iurisdictio.* Id est merum imperium. merum autem imperium est iurisdictio, quae expeditur iudicis officio nobili ad publicam utilitatem. *pe.*

— *mixta est.* Mistum imperium est iurisdictio, quae expeditur officio iudicis nobili ad privatam utilitatem. *pe.*

134,8. *ex compromisso.* Ut insimul inter se partes poenam promittant, si se libertum dicit[e]. *s. etc.* |*om. pe.*|

134,9. *ex compromisso.* Compromissum ad iudiciorum similitudinem redigi et ad finiendas pertinere lites Paulus respondit L. 1. de recept. arb. *pe.*

134,11. *ex sententia.* Sententia ab eo dicta, qui eam iure prohibetur dicere, nullius est momenti. Omnis diffinitiva sententia aut est condemnatoria aut absolutoria: omnis absolutoria exceptionem parat [*sic*]; condemnatoria vero omnis actionem. *s. etc.*

135,2. *non habet..actionem.* L. mandata ff. de off. eius. L. 1. C. de recip. arb. secus est tamen hodie. L. cum antea. C. eod. *b.*

---

e) *Sic est in s. po. pr. utraque. Totum locum praeter utramque editionem pe. omittunt quoque a. et sg. Aut legendum* promittant, veluti si se .., *aut in mendoso loco respici ad Paull. L.* 32. §. 7. *D. de recept.*

135,6. *sententia ab eo dicta.* Ut ea, quae data est non ab ordinario iudice vel non ab ordinario dato*f*.

135,11. *praecipiunt.* Ut toto titulo de feriis C. et maxime L. omnes dies. eod. tit., ubi maior pars enumeratur. *pe.*

136,7. *caerimoniarum.* Cerimoniae sunt veluti eleemosinae, ieiunia. Imo est cultus Dei per actus exteriores. *s. etc.*

137,6. *Tempus.* Hoc sumptum est ex §. censemus itaque. L. properandum. C. de iudic. *pe.*

138,7. *impensas reo praestet.* Contumacem non nisi refectis expensis audiri Iuliano praefecto praetorio imperator Iustinianus rescripsit L. sancimus. C. de iudic. Facit textus in §. omnem. et ibi Angel. in Authent. de litigio. et Authent. qui semel. C. quom. et quando iud. et §. si quis per iudicialem. tit. de litigios. in Novell. *pe.*

139,11. *victum victori.* Victum victori in expensis, victoris sacramento taxandis, condemnandum esse regulare. §. sive autem. L. properandum. C. de iudic. et L. eum quem temere. ff. eod. et cap. finem litibus. de dolo et cont. extra. *pe.*

140,11. *actor.* Actor in civili causa; accusator in criminalibus. *s. etc.*

143,11. *iudicis officium exercetur.* Veluti restitutio in integrum. *s. etc.*

146,7. *provinciae.* Provincia est regio certis finibus, unius iudicis officio destinata. Idem ius praeses habet in provincia, quod praetor in urbe. *s. etc.*

146. DE IN IUS VOC. In ius vocare esse iuris experiundi causa vocare Paulus respondit L. 1. ff. de in ius vocand. *pe.*

146,12. *personales...fideiussores.* Id est cautionem prae-

---

qui arbitrium receperunt IV. 8. opinor.

f) *Hunc locum praeter a., quae eum omisit, omnes sine distinctione priori ad* 134. 11. *annectunt, quo certe nihil ineptius; sg. malum in peius mutavit, sic:* ut ea, quae data est non ab ordinario iudice, aut saltem ab eo, qui ab ordinario datus est.

stet iudicio sisti. §. suscepto. Auth. de exhibend. reis. *b.*

146,13. *contradictionis libello.* Id est debet alium libellum facere, et in eo contradictionem suam, et in ultimo diem ponere, quo per executorem conventus est. Libellus vero contradictionis hoc fine clauditur: „Metello Iugurtha [g]. Relatione vestrarum „literarum didici Atherbalem[h] de me apud tribu- „nal vestrum questum fuisse, quod vitae eius fu- „erim insidiatus. huius rei quidem causa iudicio „me sisti tali die spondeo, et contradictionis libel- „lum mitto, et accusationis scriptum V. Idib. Ia- „nuar. me apud oppidum Vaccam[i] recepisse profi- „teor". *V*[k] *. s. etc.*

149,11. *convictus vero.* Scilicet iudex. Auth. novo iure C. de poen. iudic. qui male iudic. *pe.* (*Cf. nota h. pag.* 149.)

151,1. *lis ... contestata.* Lis enim contestata videtur cum iudex per narrationem negotii causam audire coeperit. L. unic. C. de litis contestat. *pe.*

151,11. *in controv. deducitur.* Cum res in iudicium deducta non nisi lite contestata videatur, etsi simplex postulatio celebrata sit, vel actionis species ante iudicium reo cognita sit. d. L. 1. Cod. eod. *pe.*

153,1. *ei enim. cet.* Hoc desumptum est ex Pauli iureconsulti lib. ad edict. 31. relatum in L. 2. ff. de probation. *pe.*

153,3. *nulla est probatio.* Idem rescripserunt imperatores Diocletianus et Maximianus Augusti Menelao, inquientes, per rerum naturam factum negantis probationem nullam esse. L. actor quod asseverat. C. de probation. *pe.*

153,4. *generalis prohibitio.* Veluti cum generaliter sit

---

g) τὸ Me. Iug. *vel* Met. Iug. *priorum editionum infeliciter in* Metellus Iugurthae *mutavit sg.* Metello Iugultha *V.*

h) Athelbalem *V.*

i) Vaccan. *editi.*

k) *Vid. Niebuhr. in „Zeitschr. für gesch. R. W."* *vol. III. p.* 419.

prohibitum homicidium, qui dicit se iure occidisse, probare debet. *s. etc.*

154,5. *praesumptionibus.* Praesumptio est fides habita de aliqua re per aliquam extrinsecam[l] causam sufficientem. *s. etc.*

155,7. *Instrumentis.* Instrumenta dicuntur scripta per excellentiam eo, quod nos instruunt veritate. *s. etc.*

— *quaestio probatur.* Cum res non instrumentis gerantur, sed in haec rei gestae testimonium conferatur. L. cum res. C. de probation. *pe.*

155,10. *testium subscriptione.* Testes in inferiori parte subscribantur[ll] interfuisse negotio, quod est in quaestione. *s. etc.*

157,3. *In actione. etc.* Quae spectanda in actione. *pe.*

157,6. *rei detentione.* Imo ex aliqua praecedente obligatione omnis actio producitur. L. licet. §. ea obligatio. ff. de procurator. Nam ex Alciati et Zasii sententia dicimus eum, qui actione reali convenitur, saltem per accidens occasione rei suppositae obligatum esse ad restituendum, etsi per se et principaliter nullo iure obligatus sit. §. 1. instit. de action. Eodem modo actionem dativam ex aliqua obligatione oriri fatendum est, quamvis debiliore, quam ut ex se producat actionem sine legis vel praetoris adminiculo. Vide eundem Alciatum in L. creditores. ff. de verb. signif. *pe.*

[**157**,7. *personales actiones.* Quae competunt in personam, scilicet re, verbis, literis, consensu. *s. etc.* |*om. pe.*|]

— *personales actiones.* In personam idcirco dicuntur actiones, ex obligatione quae nascuntur, quia quocunque modo res, in quam obligatur quis, alienetur, persona tamen eius, qui debet, obligata permanet quousque mihi satisfaciat. At vero si in rem actione mihi aliquis tenetur, forte quia rem meam possidet, quocunque modo sine dolo suo desinat possidere, amplius non mihi tenebitur, sed

l) *Sic omnes.* *ll*) *Fortasse melius:* subscribant se.

adversus eum, qui coepit possidere, actionem intendam in rem. *s. etc.*

157,7. *personales actiones.* Personales autem actiones appellantur, quae substantiam capiunt ex contractu vel quasi, aut ex delicto vel quasi, et personis litigantium ita inhaerent, ut nequeant ab iis penitus avelli. Per istas persequimur non quod nostrum est, sed quod nobis debetur, cum per actionem realem petamus quod nostrum est. L. actionum genera. ff. de action. et obligat. *pe.*

158,2. *in rem.* Actio realis est quae competit pro iure, quod quis habet in re; quod ius transit cum re ad quemcunque tandem res deveniat — L. via. §. si fundus. ff. de serv. rusticor. praedior. — et datur interdum possidenti contra possidentem, interdum possidenti contra non possidentem, et econtra non possidenti contra possidentem, qua in re discrepant [*sic*] a rei vendicatione. L. et si forte. §. 1. ff. si servit. vendic. et L. uti frui. §. utrum. ff. si ususfr. petatur. *pe.*

160,1. *actio.* Ex iure praetorio vel civili cui competit actio. *s. etc.*

[160,2. *ex maleficio.* ut furto, rapina. *s. etc.*]

161,1. *de quo.* Id est ex ea causa; ut ex tumultu, incendio, ruina, naufragio. *s. etc.*

161,6. *pro possessione habetur.* Convenitur si dolo desiit possidere, ac si possideret. *s. etc.* |*om. pe.*|

161,9. *ex contractu.* Actiones ex contractu sunt commodati, depositi, pignoratitia, mandati; quasi ex contractu sunt tutelae[m], negotiorum gestorum. *s. etc.*

163,4. *praedictae actiones.* Omnes personales actiones ita sunt proditae, ut id, quod in conventione est, inprimis per eas petamus: ut si equum ab aliquo emi, et mihi venditor non[n] tradat, agam ex empti actione, petendo equum ut mihi secundum conventionem tradat. quodsi tradere noluerit, iudex

---

m) tabulae *s. po.* n) non *om. omnes praeter pe.* 1559.

eum condemnare debet ita, ut vel equum mihi tradat, vel interesse mihi praestet, id est tantum mihi praestet, quantum[o] potero ostendere meam utilitatem futuram ex traditione equi: veluti si eo die, quo mihi tradere debuit, eum pretio centum solidorum vendere potuissem[p], cum tamen eum non nisi quadraginta emissem[q], centum mihi praestabit. *s. etc.*

163,8. *bonae fidei.* Idcirco huiusmodi actiones bonae fidei dicuntur, quia, cum generaliter in omnibus actionibus, quae nascuntur ex contractu vel quasi contractu, bona fides exigatur, in his cummaxime exigitur; et ideo non solum id, quod in conventione positum est vel eius interesse per has, sicut per eas, quae stricti iuris sunt, petitur, sed foetus et accessiones et generaliter quicquid ex bono et aequo alterum alteri praestare oportet. *s. etc.* |*om. pe.*|

[163,9. *quae competit.* Sive intercessit stipulatio, sive non; iure enim tacito semper intercessisse intelligitur. *s. etc.*]

163,11. *permutatione.* Permutatio differt a mutuo, quia in mutuo eadem qualitas et quantitas restituenda est; in permutatione vero et eadem et diversa praestari possunt. item mutuum constat in his rebus, quae consistunt pondere, numero, mensura: permutatio vero omnium rerum corporalium fieri potest. *s. etc.*

163,14. *personales praestationes.* Personales praestationes ponit pro cautionibus. L. in omnibus. ff. de iudic. L. 2. ff. de eviction. Vide quid sit personalis praestatio in L. item Labeo. §. familiae. ff. familiae hercisc. *b.*

163,17. *usuram ex mora.* In omnibus bonae fidei iudiciis

---

o) mihi *addunt s. a. po. pr. utraque.*

p) venditum huiusmodi *s.* venditum habui *po. pr. utraque.* vendidissem *utraque pe. omissis ceteris, quae sequuntur.*

q) scivissem *s. po. pr. utraque. De pe. vide proximam notam superiorem.*

usurae ex mora veniunt. Moram autem facit qui postquam debuit solvere, interpellatus, cum nullam iustam causam habeat[r], noluit. *s. etc.*

165,12. *bonae fidei.* Quicquid aliquis sperat ex bono et aequo se consecuturum ab eo, cum quo contraxit vel quasi contraxit, bona fides dicitur. *s. etc.*

[166,1. *qui possidet. cet.* Qui putat se heredem, cum non sit. *s. etc.*]

166,9. *unde in personam. etc.* Nota has dictas actiones mixtas, in rem et in personam. *s. etc.*

167,3. *quam possidentis.* Per quam possidens negat esse Titio ius veluti altius aedificandi. *s. etc.*

168,4. *actione furti. cet.* Actio, quae dicitur condictio furtiva, competit domino ad rem sibi furatam tantum persequendam; et distat ab actione furti, quia per eam poenam tantum consequimur, per condictionem furtivam rem tantum furatam. Actione, quae dicitur damni iniuriae, consequitur quis et aestimationem damni, id est rem, et quanti eo anno vel triginta proximis diebus plurimi fuerit[rr], quod est poena. *s. etc.*

168,11. *Officium..iudicis.* Ius dicentis officium, authore Ulpiano lib. 1. regularum, latissimum est. nam et bonorum possessionem dare potest, et in possessionem mittere, pupillis non habentibus tutores constituere, iudices litigantibus dare. L. 1. de iurisdict. omn. iudicum. *pe.*

169,7. *actionibus.* Eas expendit actiones, quae ex contractibus illorum derivantur, qui in alterius sunt potestate, ut actio quod iussu, exercitoria, institoria, et de in rem verso; item tributoria et de peculio. *pe.*

170,1. *quod iussu.* Merito ex iussu domini vel patris in solidum adversus eum iudicium dari Ulpianus lib. ad edict. 29. rescripsit: nam quodammodo cum eo contrahitur, qui iubet, et in solidum tenetur. L. 1. ff. quod iussu. *pe.*

---

r) habuit *a.* *rr*) fuerunt *omnes praeter a. sg.*

170,1. *iussu.* Iussum accipere debemus sive testato quis, sive per epistolam, sive verbis, aut per nuntium, sive specialiter in uno contractu iusserit, sive generaliter. d. L. I. §. iussum autem. *pe.*

170,4. *De in rem verso.* De in rem verso actioni locum esse, quando ii, qui in potestate sunt aliena, nihil in peculio habent, in solidum tamen tenentur qui eos habent in potestate, si in rem eorum quod acceptum est conversum sit, quasi cum ipsis potius contractum videatur. L. I. in princ. ff. de in rem verso. In rem autem versum videtur sive[s] id ipsum, quod servus accepit, in rem domini convertit. L. quod si servus. §. in rem autem. ff. de in rem verso. *pe.*

170,13. *Excercitoria.* Exercitorem, ut Domitius Ulpianus lib. 28. ad edictum scribit, eum dicimus, ad quem obventiones et reditus omnes perveniunt, sive is dominus navis sit, sive a domino navem per adversionem conduxit, vel ad tempus vel in perpetuum. L. I. §. exercitorem. ff. de exercit. *pe.*

171,7. *decretum amplissimi ordinis.* Id est senatus consultum Macedonianum inhibet repetitionem eius pecuniae, quae data est filio familias, nisi data sit studiorum[t] causa vel militiae, vel simili ratione alia[tt]. idcirco ab his mutuae pecuniae repetitio inhibetur, quia in hoc totiens coacti a creditoribus vitae[u] parentum insidiabantur. *s. etc.*

172,8. *noxales.* Noxales actiones, secundum Caium, libro 2. ad edict. provinciale, appellantur quae non ex contractu, sed ex noxia atque maleficio servorum adversus nos instituuntur, quarum vis atque potestas haec est, ut, si damnati fuerimus, liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliquit, evitare litis aestimationem. L. 1. ff. de noxal. act. L. 2. et 3. C. eod. *pe.*

173,5. *actio de pauperie.* Actioni de pauperie, ut Ser-

---

s) si *legendum est.*
t) filiorum *s. po. pr. utraque.*
tt) ratione. et *pe. utraque.*
u) iure *s. po.* rite *a.*

vius scribit, tunc locum esse, cum commota feritate nocuit quadrupes, puta si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos cornu petere solitus petierit, aut mula propter nimiam ferocitatem. L. 1. §. ait praetor. ff. si quadrup. paup. fecisse dicatur. *pe.*

173, 8. *Haec.* Quae dicta sunt de servo et bruto animali. *s. etc.* |*om. pe.*|

174, 12. *nec vi. cet.* Vi possidet qui alium vi expulit; clam possidet qui sciens rem alienam insciente domino, timens controversiam futuram, latenter possidet; precario, qui precibus impetravit possessionem, veluti colonus. hi omnes interdicto unde vi agere non possunt. *s. etc.*

174, 15. *recuperandae.* Quorum meminit imperator in §. sequens. instit. eod. et Paulus lib. 63. ad edictum L. 2. §. haec autem interdicta. ff. eod. Bernar. Glo. in c. pastoralis. de caus. poss. et propr. Aliae vero interdictorum species quotquot sunt, qualia sunt prohibitoria, restitutoria et exhibitoria, de quibus supra; et duplicia et simplicia, de quibus in §. summa. de interd. instit. et L. 1. ff. eod. in illas species et contineri videntur. Omnia enim interdicta ad effectus aut adipiscendae, aut retinendae, aut recuperandae producuntur, ob idque comparata, ut cui possessio retineatur, aut adipiscatur, aut recuperetur. *pe.*

174, 16. *adipiscendae.* Interdictum adipiscendae possessionis ideo dictum et comparatum est, quod ei tantum utile sit, eique solum competat, qui rei possessionem adipisci conatur, quam nunquam adeptus est. §. sequens. vers. ideo. instit. eod. et huius interdicti quinque sunt species: quorum bonorum, quorum legatorum, interdictum Salvianum, remedium L. fin. C. de edict. div. Adrian. et remedium L. fin. ff. de rei vend., licet hic duae tantum annumerentur. *pe.*

174, 17. *Quorum bonorum.* Interdictum quorum bonorum possessori competit contra eum, qui se falso pro herede aut possessore gerit. §. sequens. vers. adipiscendae. instit. eod. et L. 1. ff. quorum bonorum.

Glo. quod de recuperanda. c. pastoralis. extr. de caus. possess. et propriet. Antequam tamen hoc interdictum alicui competat, se filium probet necesse est. L. 1. ff. quorum bonorum. *pe.*

175,3. *Carbonianum edictum.* Carboniano interdicto [v] cautum est, ut si pupillo, patri volenti succedere, generis controversia moveatur, veluti si dicatur non esse filius defuncti, ut haec quaestio usque ad pupillares annos differatur et interim pupillus possessionem rerum hereditariarum habeat et inde [x] ei alimenta praebeantur. *s. etc.*

175,7. *Retinendae possessionis.* Interdictum retinendae possessionis ideo dictum est, quod pro retinenda seu recuperanda possessione datur ei, qui iam possessionem nactus est, adversus eum, qui possessorem inquietat aut turbat, quo minus ei sua possessione uti liceat. §. retinendae. instit. eod. c. licet causam. de probat. et c. pastoralis. de caus. poss. et propr. extra. Huius autem interdicti tres sunt species: Uti possidetis, cuius loco practici utuntur querimonia novitatis; Utrubi, et remedium L. 1. C. de Carb. edict. *pe.*

175,8. *Uti possidetis et Utrubi.* Differunt tamen haec duo interdicta, quia Uti possidetis locum habet in rebus immobilibus; Utrubi vero in mobilibus. *s. etc.*

— *et Utrubi.* Adde et tu pro tertia specie interdicti retinendae remedium L. 1. C. de Carbon. edict. *pe.*

175,12. *Restituendae.* Alias recuperandae possessionis interdictum, comparatum pro recuperanda possessione rerum immobilium, quarum quidem possessionem nactus fuerat, nunc vero casu aliquo privatus est contra iuris aequitatem et ordinem. §. recuperandae. instit. eod. L. 2. §. recuperandae. ff. eod. tit. c. saepe. de restit. spol. et canon reintegranda. 3. qu. 1., cuius species sunt tres et viginti. *pe.*

---

v) *Sic omnes.* x) unde *omnes.*

176,11. *exceptio. cet.* Modi solvendae actionis superius dicti sunt. *s. etc.* |*om. pe.*|

— *exceptio.* Exceptio autem, ut scribit Ulpianus libro 74. ad edictum, dicta est quasi quaedam exclusio, quae opponi actioni cuiusque rei solet ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemve deductum est. L. 2. ff. eod. *pe.*

178,4. *vindicta personae speratur.* Fallit in adulterio. L. quamvis. C. ad L. Iul. de adult. L. qui crimen. C. qui accus. non possunt. L. libellorum. ff. de accus. *b.*

179,2. *publica.* Non omnia iudicia, in quibus crimen vertitur, publica sunt; sed ea tantum, quae ex legibus iudiciorum publicorum veniunt, ut Iulia maiestatis, Iulia de adulteriis, Cornelia de siccariis [*sic*] et veneficiis, Pompeia parricidii, Iulia peculatus, Cornelia de testamentis, Iulia de vi publica, Iulia de vi privata, Iulia ambitus, Iulia repetundarum, Iulia de annona. L. 1. ff. de public. iudic. *pe.*

181,4. *Cornelia testamentaria.* Praeter tit. digestorum, Codic. et Authent. videas Iulii Pauli tit. ad leg. Cornel. testamentariam. libro 5. sent. recept. ad filium. *pe.*

181,18. *sicariis.* Sica*y* est ferreus culter; ponitur tamen pro quolibet gladio. *s. etc.*

182,9..14. *item... puniantur.* Item eadem puniuntur magi, aruspices, augures, qui nocturna daemonum sacrificia celebrant, et per incantationes daemones invocant, consuluntve, tempestatesque emittunt, quique homines immolant; hi autem bestiis subiiciantur, aut vivi urantur, seu capite puniantur. *s. etc.* (*Cf. nota b. ad* §. 3. *de publicis iudiciis IV.* 32.)

182,14. *Pompeia de parric.* Parricidii poena quae sit et qui parricidii poenae obnoxii sint*yy*, verbis Modestini docemur, inquientis „poena parricidii more

---

y) Sicca *pe. utraque.* *yy*) sunt *habet pe.*

maiorum haec instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus in culeo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera et simia; deinde in mare profundum culeus iactetur. hoc ita, si mare proximum sit; alioqui bestiis subiicitur, secundum divi Adriani constitutionem. Qui alias personas occiderint praeter patrem et matrem et avum et aviam, quos more maiorum puniri supra diximus, capitis poena plectuntur, aut ultimo supplicio mactantur." L. penult. ff. ad L. Pompei. de parric. Lege Pompeia de parricidiis, Iulio Paulo authore libro 5 sententiarum receptarum ad filium, tit. ad L. Pompei. de parric., tenetur qui patrem, matrem, avum, [aviam z,] fratrem, sororem, patronum, patronamve occiderit. et si antea insuti culeo in mare praecipitabantur, hodie tamen vivi exuruntur vel ad bestias dantur. *pe.*

184,6. *maiestatis.* Maiestatis crimen quod sit, habes in L. 1. ff. ad L. Iuliam maiest. *pe.*

184,14. *de ambitu.* Ambitus poena, ut Iulius Paulus scribit, deportatio erat, quae in locum aquae et ignis interdictionis successit, forte ex lege, quam C. Calphurnius Piso de ambitu rogavit; sed postea ex senatus consulto ad interpretationem legis Iuliae promulgato centum aureorum cum nominis ignominia est constituta. L. un. ff. ad L. Iuliam de ambitu, quae est Modestini, qui circa principatum Alexandri scripsit, qui, ut inquit Lampridius, honorem ius gladii habentem nunquam vendi passus est, hoc dictitans „Necesse est, ut qui emit etiam vendat." „Erubescerem, inquit, eum punire, qui emit et vendidit." *pe.*

184,15. *suffragiorum.* Suffragia dicuntur voces acclamantium in turba. *s. etc.* |*om. pe.* 1559.|

188,2. *in scriptis proferri debet.* Excepta episcopali sententia, quae et sine scriptis proferri potest, nisi

z) aviam *om. pe.* (*Cf. Ius. civ. antei. Berol.* 1815. *p.* 176. *not. w.*)

16

partes ut in scriptis proferatur desideraverint. tunc datur executioni, quando iudex facit eam impleri. *s. etc.*[a].

188,10. *praefectus praetorio.* Praefecti praetorio tantum tres erant, unus in urbe, duo extra. *s. etc.*

---

a) *Cf. nota f. ad* §. 1. *de sentent. et prov. IV.* 33.

INCERTI SCRIPTORIS

EPITOME IURIS CIVILIS

MEDIO DUODECIMO SAECULO FACTA

NUNC PRIMUM EX CODICE TUBINGENSI EDITA.

EDUARDUS BÖCKING LECTORI S.

Quam exhibeo iuris civilis vel, si malueris, institutionum Iustinianearum epitomen, ea nemini observata in codice manu scripto bibliothecae Tubingensis latuit, donec Savinius — cuius praestantissimi viri nomen, quodcunque in litteris nostris recte agas, vix facere poteris, ut sine laude praetermittas — ante hos tredecim annos Petri exceptiones legum Romanorum, quas idem ille codex continet, denuo editurus incidit in libellum nostrum, quem tum Brachylogi iuris civilis epitomen esse opinatus est[1]. *at non ita multo post quam primo intuitu conceperat opinionem mutavit, epitomen nostram ex Brachylogo haustam non esse dicens*[2]. *reliqua, quae viderat,*

---

1) *v. Savigny Geschichte des R. R. im Mittelalter. vol. II. pag.* 248. 249.

2) *Eiusd. libri vol. III. pag.* 669. *Diu vero ante quam hoc vol. III. prodiret* (1822), *auctor litteris ad. v. cl. Schraderum datis ipse monuerat epitomen nostram minime dicendam esse exemplum Brachylogi transformatum,*

omnia recte viderat. Medio duòdecimo saeculo conscriptam atque codice decimi et tertii saeculi nobis servatam epitomen institutionum Iustinianearum, quae se ad verba eorum locorum, unde desumpta erat, satis curiose applicaret, haud parvi ad criticen iuris Iustinianei librorum esse momenti[3] *facile unicuique persuasum fuit. ita evenit, ut nec deficeret qui, epitoma cum ipsis institutionibus comparata, conaretur quid fructuum inde percipi posset ostendere. nam G. F. Specker*[4], *praeside E. Schradero, edidit commentationem,*

---

sed libellum elementarium, maximam partem ex institutionibus Iustiniani transscriptum. Cf. Speckeri diss. not. 4. cit. pag. 6.

3) *Prodromus corporis iur. civ. a Schradero etc. edendi. Berol.* 1823. *pag.* 149. „*Epitome Institutionum, medio* 12mo *saeculo, ut videtur, idque satis diligenter facta, et quidem ita, ut cum Taurinensi breviatione non cognata videatur, multosque Institutionum titulos plane respuens, longe brevior evaserit. Huius codex, exaratus haud multo serius, eodem volumine, quo Rogerii Summa et Petri Exceptiones legum continentur, Tubingae in bibliotheca universitatis adservatur, licet eius aevi sit, cui non quidem multi, at non omnino pauci codices Institutionum debentur ... omnino [ad Iustiniani scil. institutiones edendas] conferetur.*"

4) *Dissertatio inauguralis iuridica, qua epitome institutionum duodecimo saeculo conscripta, quam codex Tubingensis eiusdem fere aetatis servavit, describitur eiusque lectiones cum aliis e libris tam manuscriptis quam impressis desumptis comparantur, diiudicantur. Quam praeside .. E. Schradero .. Dec. MDCCCXIX. publico .. examini submisit auctor Gustavus Felix Specker, Helveto-Sancto-Gallensis. Tubingae Typis Reissianis.* 8°. *pagg.* 70.

qua satis diligenter de libello nostro, „eius contentis, virtutibus, integritate, aetate, auctore, fatis" tractatur, eiusdemque cum institutionum digestorumque exscriptis locis facta est comparatio, quam tamen non ita diligentem praedicaverim: praeterquam enim, quod Speckerianus libellus sat multis vitiis typographicis deformatur, alia quoque haud pauca ipsius scriptoris peccata videntur, qui nec ubique verborum ordinem ex opusculo comparando, ut debuit, accurate servavit, neque satis religiose ipsas verborum formas transscripsit: id quod minime ad viri contumeliam dixerim, sed ne ipse errasse existimer, ubi a lectionibus, quas ille tanquam ipsius codicis edidit, recessero. Epitoma nostra, quatenus ex ipsis institutionibus, aut, quod in primo tantum titulo factum reperies, e digestis sumpta est, cum hisce libris commissa varias lectiones indicavit Speckerus; quae autem epitomator aliunde sumpta compluribus institutionum locis interspersit, ea ille omisit. Supervacaneum igitur laborem suscepisse minime mihi videor, qui integram ipsam epitomen cum lectoribus communicandam duxerim. itaque ex illo codice Tubingensi[5] libellum cum

---

5) *Membraneus est codex Tubingensis, forma quadrata. epitome nostra, media inter Rogerii Summam et Petri Exceptiones legum Romanorum, sine ulla inscriptione aut subscriptione, occupat codicis folia nonagesimum cum nonagesimo primo Scriptura profecto est tertii decimi saeculi; singulae paginae binas habent columnas, quarum singulae XLV... L versuum sunt, praeter ul*

glossis accurate transscripsi, ne eiectis quidem paragraphorum signis, quibus opusculum in codice distinguitur; quotiensque vel in minimis, quae ad sensum aut dictionem spectant, aliquid aut addere aut reiicere ausus sum, expressis verbis lectorem monui. orthographiam, quatenus sine superstitionis vituperatione fieri posse videbatur, ex ipso codice retinui, alia vero, quanquam ab illius aetatis scribendi ratione non aliena, mutanda esse existimavi [6]. *In locis aliorum librorum ad*

---

timam columnam, quae quadraginta tantum versus continet. Glossas omnes, quae tum in margine, tum inter lineas leguntur, cum Speckero (pag. 15.) ab epitomatore abiudicamus; hic enim glossas ipsi contexto interserere satisque scite in hac re versari solitus est; cum quae ad marginem scriptae sunt ea laude dignae minime videantur. quae an omnes eadem, qua ipsa epitome, manu scriptae sint, quod de interlinearibus apertum est, quamvis ita existimem, affirmare tamen non audeo.

6) *Ex hoc genere non nulla, ne quid dissimulasse viderer, subieci: Duplicium litterarum* (pp *praecipue*) *loco unam tantum fere ubique invenies* (ocupare, aparebit, apellare, aplicare, apulerit *etc.*)*; sed interdum convertitur vitium* (peccora). *litterae* c *et* t, *perdifficiles distinctu, non nunquam certo promiscue positae sunt; ita* d *quoque et* t *aliquotiens sibi invicem substitutas deprehendi* (reliqui*d*, aliqui*t*). *diphthongum* ae, *ut alii plerique antiqui codices, ita et noster per* e *exprimere solet; semel tantum inversum vitium* (egraegius) *et aliquotiens* e *pro* oe (penarum, ceperunt) *librarium scripsisse vidi; aspirationem modo male additam* (his, honus, co*h*aluit, co*h*erceetur *etc.*), *modo, sed rarius, omissam* (orreum, ypothec. *etc.*) *notavi. Mutavi denique verba* di*ff*inire, quati*n*us, pro*ph*anum, nichilominus, persecuntur, estingui *et si quae id genus alia sunt.*

singulas libelli nostri partes comparationis gratia citandis eundem modum, quo in allegationibus ad Brachylogum usus eram, retinui, hoc est ut quae ad verbum, vel tantum minimi momenti rebus mutatis, transscripta sunt, simpliciter indicarem; praemitterem vero „Cf.", quotiens verba locorum allegatorum minus cum libelli nostri verbis conspirabant; ubi denique utriusque loci non verba, sed argumenta communia videbantur, allegationibus „Vid." praeponerem. Ceterum non solum ipsos Iustinianei iuris libros, sed etiam glossas atque Rogerii Beneventani de dissensionibus dominorum tractatum (*ex editione C. G. Hauboldi. Lips.* 1821. 8.), *Vacarium C. F. C. Wenckii* (*Lips.* 1820. 8.) *atque Vocabularium iuris* (*quo utor ex editione Lugdunensi* 1530. 8.) *adhibui.*

De aetate ac scriptore epitomae nostrae, quod superest, dicturus, cum novi vel certe contrarii, quod afferam, nihil habeam, ex Savinii Speckerique libris quae huc pertinent repetam opus est. „Si iam quaeritur", verba sunt Speckeri §. 4., *„quanam aetate hic libellus conscriptus videatur, multa omnino argumenta nos ad tempora priorum glossatorum ablegant. Lectiones enim, ubi institutiones exscriptas habes, omnino tales sunt, quales eo aevo circumferebantur, quas hodie Bononienses dicere solemus; ex digestis et codice excerpta cum iis, quae Accursius iisdem locis adiecit, arcte cohaerent, idque ita, ut in nostro opusculo partem eorum, quae Accursius in sua volumina recepit, eam-*

que puriorem nitidioremque ante oculos habere existimaveris. .. specialia quaedam haec non modo confirmant, sed accuratius quoque aetatem opusculi nostri commonstrant. bis enim opinionum, quae afferuntur, auctores laudatos invenies, ad §. 21. Inst. de rerum divis. II. 1. Bulgarum, et ad §. 24. eod. Bulgarum et Martinum. Priori glossae simile ad institutionum et pandectarum loca parallela neque apud Accursium, neque apud Odofredum invenies; posterioris autem epitomen Accursius habet ad L. 9. §. 2. D. de adq. rer. dom. XLI. 1., additis auctoribus Rogerio et Iohanne". Hos, Rogerium et Iohannem, non magis quam Placentinum, qui in eadem illa Accursiana glossa citatur, Noster nominat; qua de causa Savinius et cum eo Speckerus epitomatorem nostrum medio duodecimo saeculo assignant; nam si post id tempus vixisset, certe illustrissimos illos doctores silentio non praetermisisset. „His accedunt", pergit Speckerus, „quaedam loca, ubi Noster quaestionem ab Accursio, laudatis quoque auctoribus, exacte tractatam, attigit quidem, sed quae ex illis auctoribus, si sibi noti fuissent, veri similiter excerpsisset omisit. sic ad §. 25. Inst. tit. cit., ubi de quaestione agitur, utrum frumentum e spicis excussum domini spicarum, an excutientis sit, capitis digestorum institutionibus contradicentis contenta Noster expressit ... at quomodo hoc caput cum instit. in concordiam revocetur, de quo Accursius ex Azone et Placentino multus est, omnino siluit. Item ad

§. 36. *eod. haec habet: ‚fere ideo dicit, quia sicut ... ut ff. de furt.: si apes.‘, quae omnia Accursius habet, at praeter ea quoque aliud ex Azone, quod apud Nostrum deest“. Quae exempla ex locis, quos ad epitomen allegavi, facili opera augeri possent; sed prolata sufficiunt. Quod addit Speckerus „Character scripturae rotundior, quam angulosus, ideoque saeculo decimo tertio anterior, huic* [*de aetate epitomae*] *iudicio omnino adstipulatur“ rectius, opinor, omisisset; codicem enim Tubingensem ante saeculum decimum et tertium scriptum esse, quanquam etiam v. cl. Schraderus (cf. nota* 3.) *hanc opinionem amplexus videtur, mihi nemo persuadebit; subscribam potius Savinii (vol. II. pag.* 130.) *iudicio, qui illo ipso saeculo librum scriptum esse affirmavit; praeterea v. cl. Bienerum (at quantum in iis rebus, quae ad litterariam iuris historiam pertinent, virum!) se in eandem sententiam ire memini mihi dicere.*

De scriptore Speckerus non inscite iudicavit, eum magis quam ceteros illius aevi ICtos ad studiorum rationem, qualis ante Bononienses ICtos fuerat, sese applicasse, quo tempore iuris disciplina cum reliquis liberalibus artibus a clericis fere solis tractabatur; clericumque Nostrum declarari putat, „quod ea pars libelli, qua de rebus religiosis agitur, prima [?] *et longe magis, quam omnes reliquae, intermixta sit excerptis digestorum, e titulo de religiosis et sumptibus funerum petitis“: ex iis, quae de provincia-*

rum etymologia attulit epitomator, „hominem a liberalibus artibus, quatenus eo aevo tractabantur, non alienum" fuisse ille sibi visus est videre. Reliqua, quae Speckerus de libello nostro disputavit, si quis nosse voluerit, eum ipse adeat; quae ad rem nostram facere videbantur, in nostros usus convertimus. de singulis autem locis quid ad criticen institutionum momentum habeant nunc nostrum non est exponere.

INCERTI SCRIPTORIS
EPITOME IURIS CIVILIS.

§. Iuri operam daturum prius nosse oportet unde iuris nomen descendat. est autem a iustitia appellatum: nam, ut eleganter Celsus definit, ius est ars boni et aequi, cuius merito quis nos sacerdotes appellat: iustitiam namque colimus et boni et aequi notitiam profitemur, aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione efficere cupientes, veram, nisi fallor, philosophiam, non simulatam affectantes. Iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuens. Iuris prudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia. Iuris praecepta sunt haec: honeste vivere, alterum non laedere, ius suum unicuique tribuere. Huius studii duae sunt positiones, publicum et privatum: publicum ius est quod ad statum rei [I.]

[I. DE IUSTITIA ET IURE.]

Lin. 13. honeste vivere) *Falso primum praeceptum a Codice abesse dicit Specker. pag.* 20. *Codex aperte habet* ho. uiue.

15. positiones) *Fortassis in Codice est* partitiones.

Lin. 1...10) Ulpian. L. 1. pr. §. 1. D. de iustitia et iure I. 1. 10...15) Ulpian. L. 10. pr. §. 2. 1. D. tit. cit. I. 1. Pr. §. 1. 3. Inst. de iustitia et iure I. 1. 15... pag. 254. lin. 4.) §. 4.

EDUARDUS BÖCKING LECTORI S.

Quam exhibeo iuris civilis vel, si malueris, institutionum Iustinianearum epitomen, ea nemini observata in codice manu scripto bibliothecae Tubingensis latuit, donec Savinius — cuius praestantissimi viri nomen, quodcunque in litteris nostris recte agas, vix facere poteris, ut sine laude praetermittas — ante hos tredecim annos Petri exceptiones legum Romanorum, quas idem ille codex continet, denuo editurus incidit in libellum nostrum, quem tum Brachylogi iuris civilis epitomen esse opinatus est[1]. *at non ita multo post quam primo intuitu conceperat opinionem mutavit, epitomen nostram ex Brachylogo haustam non esse dicens*[2]. *reliqua, quae viderat,*

---

1) *v. Savigny Geschichte des R. R. im Mittelalter. vol. II. pag.* 248. 249.

2) *Eiusd. libri vol. III. pag.* 669. *Diu vero ante quam hoc vol. III. prodiret* (1822), *auctor litteris ad. v. cl. Schraderum datis ipse monuerat epitomen nostram minime dicendam esse exemplum Brachylogi transformatum,*

omnia recte viderat. Medio duòdecimo saeculo conscriptam atque codice decimi et tertii saeculi nobis servatam epitomen institutionum Iustinianearum, quae se ad verba eorum locorum, unde desumpta erat, satis curiose applicaret, haud parvi ad criticen iuris Iustinianei librorum esse momenti[3] *facile unicuique persuasum fuit. ita evenit, ut nec deficeret qui, epitoma cum ipsis institutionibus comparata, conaretur quid fructuum inde percipi posset ostendere. nam G. F. Specker*[4]*, praeside E. Schradero, edidit commentationem,*

---

sed libellum elementarium, maximam partem ex institutionibus Iustiniani transscriptum. Cf. Speckeri diss. not. 4. cit. pag. 6.

3) *Prodromus corporis iur. civ. a Schradero etc. edendi. Berol.* 1823. *pag.* 149. „*Epitome Institutionum, medio* 12mo *saeculo, ut videtur, idque satis diligenter facta, et quidem ita, ut cum Taurinensi breviatione non cognata videatur, multosque Institutionum titulos plane respuens, longe brevior evaserit. Huius codex, exaratus haud multo serius, eodem volumine, quo Rogerii Summa et Petri Exceptiones legum continentur, Tubingae in bibliotheca universitatis adservatur, licet eius aevi sit, cui non quidem multi, at non omnino pauci codices Institutionum debentur ... omnino [ad Iustiniani scil. institutiones edendas] conferetur.*“

4) *Dissertatio inauguralis iuridica, qua epitome institutionum duodecimo saeculo conscripta, quam codex Tubingensis eiusdem fere aetatis servavit, describitur eiusque lectiones cum aliis e libris tam manuscriptis quam impressis desumptis comparantur, diiudicantur. Quam praeside .. E. Schradero .. Dec. MDCCCXIX. publico .. examini submisit auctor Gustavus Felix Specker, Helveto-Sancto-Gallensis. Tubingae Typis Reissianis.* 8°. *pagg.* 70.

qua satis diligenter de libello nostro, „eius contentis, virtutibus, integritate, aetate, auctore, fatis“ tractatur, eiusdemque cum institutionum digestorumque exscriptis locis facta est comparatio, quam tamen non ita diligentem praedicaverim: praeterquam enim, quod Speckerianus libellus sat multis vitiis typographicis deformatur, alia quoque haud pauca ipsius scriptoris peccata videntur, qui nec ubique verborum ordinem ex opusculo comparando, ut debuit, accurate servavit, neque satis religiose ipsas verborum formas transscripsit: id quod minime ad viri contumeliam dixerim, sed ne ipse errasse existimer, ubi a lectionibus, quas ille tanquam ipsius codicis edidit, recessero. Epitoma nostra, quatenus ex ipsis institutionibus, aut, quod in primo tantum titulo factum reperies, e digestis sumpta est, cum hisce libris commissa varias lectiones indicavit Speckerus; quae autem epitomator aliunde sumpta compluribus institutionum locis interspersit, ea ille omisit. Supervacaneum igitur laborem suscepisse minime mihi videor, qui integram ipsam epitomen cum lectoribus communicandam duxerim. itaque ex illo codice Tubingensi[5] *libellum cum*

---

5) *Membraneus est codex Tubingensis, forma quadrata. epitome nostra, media inter Rogerii Summam et Petri Exceptiones legum Romanorum, sine ulla inscriptione aut subscriptione, occupat codicis folia nonagesimum cum nonagesimo primo Scriptura profecto est tertii decimi saeculi; singulae paginae binas habent columnas, quarum singulae XLV. . . L versuum sunt, praeter ul*

glossis accurate transscripsi, ne eiectis quidem paragraphorum signis, quibus opusculum in codice distinguitur; quotiensque vel in minimis, quae ad sensum aut dictionem spectant, aliquid aut addere aut reiicere ausus sum, expressis verbis lectorem monui. orthographiam, quatenus sine superstitionis vituperatione fieri posse videbatur, ex ipso codice retinui, alia vero, quanquam ab illius aetatis scribendi ratione non aliena, mutanda esse existimavi[6]. *In locis aliorum librorum ad*

---

timam columnam, quae quadraginta tantum versus continet. Glossas omnes, quae tum in margine, tum inter lineas leguntur, cum Speckero (pag. 15.) ab epitomatore abiudicamus; hic enim glossas ipsi contexto interserere satisque scite in hac re versari solitus est; cum quae ad marginem scriptae sunt ea laude dignae minime videantur. quae an omnes eadem, qua ipsa epitome, manu scriptae sint, quod de interlinearibus apertum est, quamvis ita existimem, affirmare tamen non audeo.

6) *Ex hoc genere non nulla, ne quid dissimulasse viderer, subieci: Duplicium litterarum* (pp *praecipue*) *loco unam tantum fere ubique invenies* (ocupare, aparebit, apellare, aplicare, apulerit *etc.*)*; sed interdum convertitur vitium* (peccora). *litterae* c *et* t, *perdifficiles distinctu, non nunquam certo promiscue positae sunt; ita* d *quoque et* t *aliquotiens sibi invicem substitutas deprehendi* (reliqui*d*, aliqui*t*). *diphthongum* ae, *ut alii plerique antiqui codices, ita et noster per* e *exprimere solet; semel tantum inversum vitium* (egraegius) *et aliquotiens* e *pro* oe (penarum, ceperunt) *librarium scripsisse vidi; aspirationem modo male additam* (*h*is, *h*onus, co*h*aluit, co*h*ercetur *etc.*), *modo, sed rarius, omissam* (orreum, ypothec. *etc.*) *notavi. Mutavi denique verba* di*ff*inire, quat*i*nus, pro*ph*anum, nichilominus, persecuntur, e*s*tingui *et si quae id genus alia sunt.*

singulas libelli nostri partes comparationis gratia citandis eundem modum, quo in allegationibus ad Brachylogum usus eram, retinui, hoc est ut quae ad verbum, vel tantum minimi momenti rebus mutatis, transscripta sunt, simpliciter indicarem; praemitterem vero „Cf.", quotiens verba locorum allegatorum minus cum libelli nostri verbis conspirabant; ubi denique utriusque loci non verba, sed argumenta communia videbantur, allegationibus „Vid." praeponerem. Ceterum non solum ipsos Iustinianei iuris libros, sed etiam glossas atque Rogerii Beneventani de dissensionibus dominorum tractatum (ex editione C. G. Hauboldi. Lips. 1821. 8.), *Vacarium C. F. C. Wenckii (Lips.* 1820. 8.) *atque Vocabularium iuris (quo utor ex editione Lugdunensi* 1530. 8.) *adhibui.*

De aetate ac scriptore epitomae nostrae, quod superest, dicturus, cum novi vel certe contrarii, quod afferam, nihil habeam, ex Savinii Speckerique libris quae huc pertinent repetam opus est. „Si iam quaeritur", verba sunt Speckeri §. 4., *„quanam aetate hic libellus conscriptus videatur, multa omnino argumenta nos ad tempora priorum glossatorum ablegant. Lectiones enim, ubi institutiones exscriptas habes, omnino tales sunt, quales eo aevo circumferebantur, quas hodie Bononienses dicere solemus; ex digestis et codice excerpta cum iis, quae Accursius iisdem locis adiecit, arcte cohaerent, idque ita, ut in nostro opusculo partem eorum, quae Accursius in sua volumina recepit, eam-*

que puriorem nitidioremque ante oculos habere existimaveris. .. specialia quaedam haec non modo confirmant, sed accuratius quoque aetatem opusculi nostri commonstrant. bis enim opinionum, quae afferuntur, auctores laudatos invenies, ad §. 21. Inst. de rerum divis. II. 1. Bulgarum, et ad §. 24. eod. Bulgarum et Martinum. Priori glossae simile ad institutionum et pandectarum loca parallela neque apud Accursium, neque apud Odofredum invenies; posterioris autem epitomen Accursius habet ad L. 9. §. 2. D. de adq. rer. dom. XLI. 1., additis auctoribus Rogerio et Iohanne". Hos, Rogerium et Iohannem, non magis quam Placentinum, qui in eadem illa Accursiana glossa citatur, Noster nominat; qua de causa Savinius et cum eo Speckerus epitomatorem nostrum medio duodecimo saeculo assignant; nam si post id tempus vixisset, certe illustrissimos illos doctores silentio non praetermisisset. „His accedunt", pergit Speckerus, „quaedam loca, ubi Noster quaestionem ab Accursio, laudatis quoque auctoribus, exacte tractatam, attigit quidem, sed quae ex illis auctoribus, si sibi noti fuissent, veri similiter excerpsisset omisit. sic ad §. 25. Inst. tit. cit., ubi de quaestione agitur, utrum frumentum e spicis excussum domini spicarum, an excutientis sit, capitis digestorum institutionibus contradicentis contenta Noster expressit ... at quomodo hoc caput cum instit. in concordiam revocetur, de quo Accursius ex Azone et Placentino multus est, omnino siluit. Item ad

§. 36. *eod. haec habet: ‚fere ideo dicit, quia sicut ... ut ff. de furt.: si apes.‘, quae omnia Accursius habet, at praeter ea quoque aliud ex Azone, quod apud Nostrum deest“. Quae exempla ex locis, quos ad epitomen allegavi, facili opera augeri possent; sed prolata sufficiunt. Quod addit Speckerus „Character scripturae rotundior, quam angulosus, ideoque saeculo decimo tertio anterior, huic* [*de aetate epitomae*] *iudicio omnino adstipulatur“ rectius, opinor, omisisset; codicem enim Tubingensem ante saeculum decimum et tertium scriptum esse, quanquam etiam v. cl. Schraderus (cf. nota* 3.) *hanc opinionem amplexus videtur, mihi nemo persuadebit; subscribam potius Savinii (vol. II. pag.* 130.) *iudicio, qui illo ipso saeculo librum scriptum esse affirmavit; praeterea v. cl. Bienerum (at quantum in iis rebus, quae ad litterariam iuris historiam pertinent, virum!) se in eandem sententiam ire memini mihi dicere.*

De scriptore Speckerus non inscite iudicavit, eum magis quam ceteros illius aevi ICtos ad studiorum rationem, qualis ante Bononienses ICtos fuerat, sese applicasse, quo tempore iuris disciplina cum reliquis liberalibus artibus a clericis fere solis tractabatur; clericumque Nostrum declarari putat, „quod ea pars libelli, qua de rebus religiosis agitur, prima [?] *et longe magis, quam omnes reliquae, intermixta sit excerptis digestorum, e titulo de religiosis et sumptibus funerum petitis“: ex iis, quae de provincia-*

rum etymologia attulit epitomator, „hominem a liberalibus artibus, quatenus eo aevo tractabantur, non alienum" fuisse ille sibi visus est videre. Reliqua, quae Speckerus de libello nostro disputavit, si quis nosse voluerit, eum ipse adeat; quae ad rem nostram facere videbantur, in nostros usus convertimus. de singulis autem locis quid ad criticen institutionum momentum habeant nunc nostrum non est exponere.

INCERTI SCRIPTORIS
EPITOME IURIS CIVILIS.

§. Iuri operam daturum prius nosse oportet unde iuris nomen descendat. est autem a iustitia appellatum: nam, ut eleganter Celsus definit, ius est ars boni et aequi, cuius merito quis nos sacerdotes appellat: iustitiam namque colimus et boni et aequi notitiam profitemur, aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione efficere cupientes, veram, nisi fallor, philosophiam, non simulatam affectantes. Iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuens. Iuris prudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia. Iuris praecepta sunt haec: honeste vivere, alterum non laedere, ius suum unicuique tribuere. Huius studii duae sunt positiones, publicum et privatum: publicum ius est quod ad statum rei [I.]

[I. DE IUSTITIA ET IURE.]

Lin. 13. honeste vivere) *Falso primum praeceptum a Codice abesse dicit Specker. pag.* 20. *Codex aperte habet* ho. uiue.

15. positiones) *Fortassis in Codice est* partitiones.

Lin. 1...10) Ulpian. L. 1. pr. §. 1. D. de iustitia et iure I. 1. 10...15) Ulpian. L. 10. pr. §. 2. 1. D. tit. cit. I. 1. Pr. §. 1. 3. Inst. de iustitia et iure I. 1. 15... pag. 254. lin. 4.) §. 4.

Romanae spectat; privatum, quod ad singulorum utilitatem pertinet. dicendum est igitur de iure privato, quod est tripertite collectum: est enim aut ex naturalibus praeceptis, aut gentium, aut civilibus.

[II.] §. Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit: nam ius istud non solum humani generis proprium est, sed etiam omnium animalium, quae in caelo, quae in terra, quae in mari nascuntur. hinc descendit maris et feminae coniugatio, quam nos matrimonium appellamus. videmus enim cetera animalia istius iuris peritia censeri. §. Ius autem civile vel gentium ita dividitur: omnes populi, qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur. nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius civitatis proprium est, vocaturque ius civile, quasi ius proprium ipsius civitatis: quod vero naturalis ratio inter homines constituit, id apud omnes populos peraeque custoditur, vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utuntur. Et populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utitur. quae singula qualia sint, suis locis proponemus. §. Sed ius quidem civile ex unaquaque civitate

---

[II. DE IURE NATURALI GENTIUM ET CIVILI.]

---

12. et) *Codex* etiam *habere videtur.*

Inst. de iustitia et iure I. 1. Ulpian. cit. L. §. 2. init.
Ad tit. II.) Tot. tit. Inst. de iure naturali, gentium et civili I. 2.

5...11) Ulpian. cit. L. 1. §. 3. D. de iustitia et iure I. 1.
12...20) Gai. L. 9. D. de iustitia et iure I. 1.

appellatur, velut Atheniensium. nam si quis velit Sòlonis vel Draconis leges appellare ius civile Atheniensium, non erraverit. sic enim et ius civium, quo populus Romanus utitur, ius civile Romanorum appellamus, vel ius Quiritum, quo Quirites utuntur: Ròmani enim a Quirino Quirites appellantur. Sed quotiens non addimus nomen, cuius sit civitatis, nostrum ius significamus, sicut cum poetam dicimus, nec addimus eius nomen, subauditur apud Graecos egregius Homerus, apud nos Vergilius. §. Ius autem gentium omni humano generi commune est. nam usu exigente et humanis necessitatibus gentes humanae quaedam sibi constituerunt: bella etenim orta sunt et captivitates secutae, et servitutes, quae sunt iuri naturali contrariae; iure enim naturali omnes homines liberi ab initio nascebantur. et ex hoc iure gentium omnes paene contractus introducti sunt, ut emptio et alii. §. Constat autem ius nostrum aut ex scripto, aut ex non scripto. Scriptum ius est lex, plebi scitum, senatus consultum, principis placitum, magistratus edictum, prudentis responsum. §. Lex est quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante, veluti consule, constituebat. §. Plebi scitum est quod plebs, plebeio magistratu interrogante, veluti tribuno, constituebat. Plebs autem a populo eo differt, quo species a genere: nam appellatione populi universi cives significantur connumeratis etiam patriciis et senatoribus; plebis autem appellatione ceteri cives sine pa-

8. significamus) *Codex:* signicamus.
22. senatorio) *Codex*: senatore.

triciis et senatoribus. sed et plebi scita lege Hortensia lata non minus quam leges valere coeperunt. §. Senatus consultum est quod senatus iubet atque constituit. nam cum auctus est populus Romanus in eum modum, ut difficile sit eum in unum convenire legis sanciendae causa, aequum visum est senatum vice populi consuli. §. Sed et quod principi placuit, legis habet vigorem, cum lege regia, quae de imperio eius lata est, ei et in eum omne suum imperium*) et potestatem concessit. quodcunque igitur imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto praecepit, legem esse constat. haec sunt quae constitutiones appellantur. plane ex his quaedam sunt personales, quae nec ad exemplum trahuntur, quoniam non hoc princeps vult: nam quod alicui ob meritum indulsit, vel si cui poenam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur. aliae autem, cum generales sint, omnes procul dubio tenent. §. Praetorum quoque edicta non modicam iuris optinent auctoritatem. hoc etiam ius honorarium solemus appellare, quod qui honores gerunt, id est magistratus, auctoritatem huic iuri dederunt. Proponebant et aediles curules edictum de quibusdam causis, quod edictum iuris honorarii portio est. §. Responsa prudentium sunt sententiae et opiniones eorum, quibus permissum erat iura condere. nam antiquitus constitutum erat, ut essent qui iura publice

*) *Glossa marginalis*: § etiam mixtum, quod potestas gladii dicitur, ut. ff. de iurisd. o. iu. l. III.

1. Hortensia) *Codex:* ortensia.

interpretarentur, quibus a Caesare *) ius respondendi datum est, qui iuris consulti appellabantur; quorum omnium sententiae et opiniones tantae sunt auctoritatis, ut iudici ab eis recedere non liceat. §. Ex non scripto ius venit, quod usus comprobavit: nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur. et non ineleganter in duas partes ius civile distributum videtur: nam origo eius ab institutis duarum civitatum, Atheniensium et Lacedaemoniorum, fluxisse videtur; Lacedaemonii enim iure non scripto utebantur, Athenienses vero iure scripto. Sed naturalia quidem iura, quae apud omnes gentes peraeque servantur, divina quadam providentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent: ea vero, quae ipsa quaeque civitas sibi constituit, saepe mutari solent, vel tacito consensu populi, vel alia lege lata. Omne igitur ius, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. ac prius de personis videamus: nam parum est ius nosse, si personae, quarum causa statutum est, ignorentur.

§. Summa divisio de iure personarum haec est, quod [III.]
omnes homines aut liberi sunt, aut servi. §. Libertas quidem est, ex qua etiam liberi vocantur, naturalis facultas

---

[III. DE IURE PERSONARUM.]

---

*) *Glossa marginalis:* § augusto. ut ff. de origine iuris. l. III. [*sic. lege* l. II.] §. ult.

---

7. et) *In Codice* etiam *esse videtur.*
9. Lacedaemoniorum) *Codex:* lacedemoniarum.

Ad tit. III.) Tot. titulus Inst. de iure personarum I. 3.

eius, quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure prohibetur. §. Servitus autem est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subicitur. §. Servi autem ex eo appellati sunt, quod imperatores captivos vendere iubent, ac per hoc servare, nec occidere solent; qui et mancipia dicti sunt, quod ab hostibus manu capiuntur. §. Servi autem aut nascuntur aut fiunt. nascuntur ex ancillis nostris: fiunt aut iure gentium, id est ex captivitate; aut iure civili, ut cum homo liber maior viginti annis ad pretium participandum se venundari passus est. §. In servorum condicione nulla differentia*) est. in liberis multae differentiae sunt, quia aut ingenui aut libertini sunt.

[IV.] §. Ingenuus est qui statim ut natus est **) liber est, sive ex duobus ingenuis matrimonio editus, sive ex duobus libertinis, sive ex altero libertino, altero ingenuo. sed et si quis ex matre libera nascatur, patre vero servo, ingenuus nihilominus nascitur;

[IV. DE INGENUIS.]

---

*) *Glossa marginalis:* § Servus tamen miles factus et capite punitur. ut ff. de poenis. quaed. [*i. e. Macer. L. Quaedam* 14. *D. de poenis* XLVIII. 19.]

**) *Glossa marginalis:* § Nisi mora sit facta in fideicommissaria libertate praestanda matri. tunc enim traduntur matri ad manumittendum, quae non coget eos praestare operas. ut ff. de fideico. li. Si quis ro. [*i. e. Marcian. L. Si quis rogatus* 53. *D. de fideicommiss. libert.* XL. 5.]

---

10. pretium participandum) *Codex:* precum participium.
12. differentia) *Codex:* deferentia.

Ad tit. IV.) Titulus Inst. de ingenuis I. 4.

quemadmodum qui ex matre libera et incerto patre natus est, quoniam vulgo conceptus est. Sufficit autem liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licet ancilla conceperit; et e contrario si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, placuit eum, qui nascitur, liberum nasci, quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in utero est. §. Ex his et illud quaesitum est, si ancilla praegnans manumissa sit, deinde postea ancilla facta peperit, liberum, an servum pariat. Marcellus probat liberum nasci: sufficit enim ei, qui in ventre est, liberam matrem vel medio tempore habuisse; quod et verum est. §. Cum autem ingenuus aliquis natus sit, non officit illi in servitute*) fuisse et postea manumissum esse. saepe enim constitutum est natalibus non officere **) manumissionem
§. Libertini sunt qui ex iusta servitute manumissi [V.]
sunt. §. Manumissio est datio libertatis. nam quam-

[V. DE LIBERTINIS.]

*) „de facto" *eadem, qua contextus, manu ad marginem scriptum est.*

**) *Glossa marginalis*: § Nisi quinquennio post manumissionem tacuerit. etiam si inveniat instrumenta ingenuitatis. ut ff. si ingenuus. l. II. sed secundum Iustinianum perpetuo licet. ut C. ubi causa sta. l. ult. [*Saturnin. L.* 2. *§.* 1. 2. *D. si ingenuus esse dicetur* XL. 14. *Iustinian. const.* 6. *Cod. ubi causa status agi debeat* III. 22.]

10. Marcellus) *Cf. interpretes ad. pr. Inst. de ingenuis I.* 4. *et Specker. p.* 38. 39.

Ad tit. V.) Pr. Inst. de libertinis I. 5.

diu quis in servitute est, manui et potestati subpositus est.

[VI.] §. Capitis diminutio est prioris status commutatio, quae tribus modis accidit: aut enim maxima est, aut minor, quam quidam mediam vocant, aut minima. §. Maxima capitis diminutio est cum quis simul civitatem et libertatem amittit, vel cum quis de libero fit servus. §. Minor sive media est cum civitas amittitur, libertas retinetur, ut cum quis deportatur. sed tamen refert patiatur quis sententiam hanc per praesidem, an per principem, vel praefectum praetorio, vel praefectum urbis: cum enim per praesidem deportatur, ante quam per principem sententia confirmetur, valet testamentum ab eo factum sive ante sententiam, sive post. ut ff. de legatis III. l. 1. et ff. qui te. facere pos. eius. et ff. de variis et extraord. cogni. §. Minima capitis diminutio est cum civitas et libertas retinetur, sed status mutatur, ut in arrogato vel manumisso. §. Servus tamen manumissus capite non minuitur, quia nullum habuit caput. §. Item ille, cui dignitas potius quam status mutatur, capite non minuitur. §. Maxima capitis diminutione vel media interveniente cognatio solvitur quod ad successionem; secus est interveniente minima. ut in inst. de ca. dimi. §. quod.

[VI. DE CAPITIS DIMINUTIONIBUS.]

Lin. 3...10) Cf. pr. §. 1. 2. Inst. de capitis diminutione. I. 16. 10...17) Vid. Ulp. L. 1. §. 3. 4. D. de legatis 3. XXXII. Gai. L. *Eius* 8. §. 2. 3. D. qui testam. facere possunt XXVIII. 1. Callistr. L. 5. §. 2. 3. D. de var. et extraordin. cognitionib. L. 13. 17...25) Cf. §. 3...6. Inst. tit. cit. I. 16.

§. Videamus de rebus, quae in nostro patrimonio vel [VII.] extra nostrum patrimonium habentur. quaedam enim naturali iure communia sunt omnium, quaedam publica, quaedam universitatis, quaedam nullius, pleraque singulorum, quae ex variis causis cuique adquiruntur, sicut ex subiectis apparebit. §. Et quidem naturali iure communia sunt omnium haec: aer et aqua profluens et mare et per hoc littora maris. nemo igitur ad litus maris accedere prohibetur, dum tamen villis et monumentis abstineat, quia non sunt iuris gentium, sicut et mare. §. Flumina autem omnia et portus publica sunt; ideoque ius piscandi omnibus commune est in portu fluminibusque. §. Est autem litus maris quatenus hibernus fluctus maximus excurrit. §. Riparum quoque usus publicus est iuris gentium, sicut ipsius fluminis. itaque naves ad eas applicare, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere cuilibet liberum est, sicuti per ipsum flumen navigare. sed proprietas earum illorum est, quorum praediis adhaerent, qua de causa arbores quoque in iisdem natae eorundem sunt. §. Littorum

[VII. DE RERUM DIVISIONE ET ADQUIRENDO EARUM DOMINIO.]

1. *Sequentia a superioribus parvo spatio relicto in codice distincta, eademque quidem manu, sed longe minus pallido atramento scripta sunt.*

4...*p.*262. *lin.*11.) Pr. §. 1...7. 8. atque LL. 1...9. D. de adquir. rer. dom. XLI. 1., quippe ex quibus locis maximam partem Institutionum titulus citatus transscriptus est. Inst. de rer. divis. II. 1. Ad hunc tit. conferendi sunt Gaius, Marcianus et Florentinus LL. 1...6. D. de divisione rerum I.

quoque usus publicus est et iuris gentium, sicut ipsius maris, et ob id cuilibet liberum est casam ibi ponere, in qua se recipiat, sicut retia siccare et ex mari deducere. proprietas autem eorum potest intelligi nullius esse, sed eiusdem iuris esse, cuius et mare et ea, quae subiacent mari, terra vel arena. §. Universitatis sunt, non singulorum, veluti quae in civitatibus sunt, ut theatra, stadia et his similia, et si qua alia sunt communia civitatum. Nullius autem sunt res sacrae, religiosae et sanctae. quod enim divini iuris est, id nullius in bonis est. Sacra sunt quae rite et per pontificem deo consecrata sunt, veluti aedes sacrae et donaria, quae rite ad ministerium dei dedicata sunt; quae alienari prohibentur, exceptis duobus casibus. §. Si quis vero auctoritate sua quasi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum. locus autem, in quo sacrae aedes aedificatae sunt, etiam diruto aedificio adhuc sacer manet. §. Religiosum locum unusquisque voluntate sua facit, dum mortuum cum capite infert in locum suum, alioquin non. ut ff. de reli. et sum. f. l. antepenult. §. In communem autem locum purum invito socio inferre non licet. §. In commune vero sepulcrum etiam invitis ceteris

---

6. ea) *Codex habet:* eo quae subiacent; *falso Specker. pag.* 43. subiacit *in codice esse refert.*

6...14) §.6...8.in.Inst.t.c.II.1. 14. 15) Vid. Iustinian. const. 21. Cod. de SS. ecclesiis I. 2. cum Nov. 120. cap. 10. („*excepta videlicet causa captivitatis et famis.*")

15...20) §.8. i. f. §. 9. Inst. t. c. 20. 21) Citatur Paull. L. 44. (pr.) D. de religiosis et sumptibus funerum XI. 7.

21...*p.* 263. *lin.* 3.) §.9. med. Inst. tit. cit. II. 1.

licet inferre. §. Item si alienus usufructus est, proprietarium placet, nisi consentiente fructuario, locum religiosum non facere, nisi usumfructum reliquit qui infertur, cum tam opportune [*in alium locum*] inferri non potest; sed tunc heres fructuarium indemnem praestabit. ut ff. de re. et s. l. II. Si quis et ult. §. In alienum locum concedente domino licet inferre; et si postea ratum non habuerit, quam illatus est mortuus, tamen religiosus locus fit. alioquin qui eo non concedente intulerit vel inferre curaverit, aut tollet aut loci pretium praestabit actione in factum, quae heredi et in heredem perpetuo competit. de arca lapidea utilis datur. ut ff. de relig. l. II. Is qui. §. Sanctae quoque res, veluti muri et portae quodammodo divini iuris sunt, et ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus, quia poena capitis constituta sit in eos, qui aliquid in muros deliquerint. ideo et legum eas partes, quibus poenas constituimus adversus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus. §. Singulorum res fiunt aut iure naturali, id est gentium, aut iure civili. vetustius enim est

4. *in alium locum) Haec verba plane omitti non posse videbantur; inserui ea ex Ulp. L. 2. §. 7. D. de relig. et sumpt. fun. XI. 7., qui locus Nostro ante oculos fuit.*
16. 17. constituta) *Codex:* constatuta.

3. .. 6) Excitat epitomator Ulp. L. (*Locum*) 2. (§. 7.) et L. *Si quis sepulcrum*. 12. atque Scaevol. L. ult. 46. (pr.) D. de religios. et sumpt. funer. XI. 7.
7... 9) §. 9. extrem. Inst. de rerum divisione II. 1.
9... 13) Cf. Ulp. L. 2. §. 1. Gai. L. *Is qui* 7. D. tit. cit. XI. 7.
13... 20) §. 10. Inst. tit. cit. II. 1.
20. .. *p.* 264. *lin.* 4.) Cf. §. 11. Inst. tit. cit. II. 1.

quoque usus publicus est et iuris gentium, sicut ipsius maris, et ob id cuilibet liberum est casam ibi ponere, in qua se recipiat, sicut retia siccare et ex mari deducere. proprietas autem eorum potest intelligi nullius esse, sed eiusdem iuris esse, cuius et mare et ea, quae subiacent mari, terra vel arena. §. Universitatis sunt, non singulorum, veluti quae in civitatibus sunt, ut theatra, stadia et his similia, et si qua alia sunt communia civitatum. Nullius autem sunt res sacrae, religiosae et sanctae. quod enim divini iuris est, id nullius in bonis est. Sacra sunt quae rite et per pontificem deo consecrata sunt, veluti aedes sacrae et donaria, quae rite ad ministerium dei dedicata sunt; quae alienari prohibentur, exceptis duobus casibus. §. Si quis vero auctoritate sua quasi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum. locus autem, in quo sacrae aedes aedificatae sunt, etiam diruto aedificio adhuc sacer manet. §. Religiosum locum unusquisque voluntate sua facit, dum mortuum cum capite infert in locum suum, alioquin non. ut ff. de reli. et sum. f. l. antepenult. §. In communem autem locum purum invito socio inferre non licet. §. In commune vero sepulcrum etiam invitis ceteris

---

6. ea) *Codex habet:* eo quae subiacent; *falso Specker. pag.* 43. subiacit *in codice esse refert.*

6...14) §.6...8.in.Inst.t.c.II.1. 14. 15) Vid. Iustinian. const. 21. Cod. de SS. ecclesiis I. 2. cum Nov. 120. cap. 10. („*excepta videlicet causa captivitatis et famis.*")

15...20) §.8. i. f. §. 9. Inst. t. c. 20. 21) Citatur Paull. L. 44. (pr.) D. de religiosis et sumptibus funerum XI. 7.

21...*p.* 263. *lin.* 3.) §. 9. med. Inst. tit. cit. II. 1.

licet inferre. §. Item si alienus ususfructus est, proprietarium placet, nisi consentiente fructuario, locum religiosum non facere, nisi usumfructum reliquit qui infertur, cum tam opportune [*in alium locum*] inferri non potest; sed tunc heres fructuarium indemnem praestabit. ut ff. de re. et s. l. II. Si quis et ult. §. In alienum locum concedente domino licet inferre; et si postea ratum non habuerit, quam illatus est mortuus, tamen religiosus locus fit. alioquin qui eo non concedente intulerit vel inferre curaverit, aut tollet aut loci pretium praestabit actione in factum, quae heredi et in heredem perpetuo competit. de arca lapidea utilis datur. ut ff. de relig. l. II. Is qui. §. Sanctae quoque res, veluti muri et portae quodammodo divini iuris sunt, et ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus, quia poena capitis constituta sit in eos, qui aliquid in muros deliquerint. ideo et legum eas partes, quibus poenas constituimus adversus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus. §. Singulorum res fiunt aut iure naturali, id est gentium, aut iure civili. vetustius enim est

---

4. *in alium locum) Haec verba plane omitti non posse videbantur; inserui ea ex Ulp. L. 2. §. 7. D. de relig. et sumpt. fun. XI. 7., qui locus Nostro ante oculos fuit.*
16. 17. constituta) *Codex:* constatuta.

---

3. .. 6) Excitat epitomator Ulp. L. (*Locum*) 2. (§. 7.) et L. *Si quis sepulcrum.* 12. atque Scaevol. L. ult. 46. (pr.) D. de religios. et sumpt. funer. XI. 7.
7... 9) §. 9. extrem. Inst. de rerum divisione II. 1.
9 ... 13) Cf. Ulp. L. 2. §. 1. Gai. L. *Is qui* 7. D. tit. cit. XI. 7.
13...20) §. 10. Inst. tit. cit. II. 1.
20. .. *p.* 264. *lin.* 4.) Cf. §. 11. Inst. tit. cit. II. 1.

ius naturale, quam civile, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit. civilia iura tunc esse coeperunt, cum civitates condi, et magistratus creari, et leges scribi coeperunt. §. Ferae igitur bestiae et volucres et pisces, id est omnia animalia, quae in terra, mari caeloque nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, iure gentium statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. nec interest feras bestias et volucres utrum in suo fundo quisque capiat, an in alieno: §. plane qui in alienum fundum ingreditur venandi aut aucupandi gratia, potest a domino, si is providit, prohiberi ne ingrediatur. Quicquid autem eorum ceperis, eo usque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coercetur. cum vero evaserit tuam custodiam et in naturalem libertatem se receperit, tuum esse desinit et rursum occupantis fit. naturalem autem libertatem recipere intelligitur cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit eius persecutio. §. Illud quaesitum est, an, si fera bestia ita vulnerata sit, ut capi possit, statim tua esse intelligatur. et eo usque tuam videri, donec eam persequeris, quibusdam videtur: aliis placet non aliter eam

2. esse) *Utrum hoc verbum revera in codice exstet, an omittatur, iam affirmare non ausim; in schedis meis, alioquin satis diligenter codicem imitantibus, non est; sed certe Speckerus pag.* 45. *monere debebat, si omissum esset.*

15. custodiam) *Codex:* cus *et superne* custodiam.

16. naturalem libertatem) *Codex:* naturalem vel libertatem. *sed* vel *suppunctatione deletum est.*

4... *p.* 266. *lin.* 12.) §. 12.... 21. Inst. tit. cit. II. 1.

fieri tuam, quam si eam ceperis; multa enim accidere solent, ut eam non capias. haec sententia magis optinuit. §. Apium quoque fera natura est; itaque quae in arbore tua consederint, antequam a te alveo includantur, non magis tuae intelliguntur, quam volucres, quae in arbore tua nidum fecerint; ideoque si alius eas incluserit, ipse harum dominus erit. favos quoque, si quos hae fecerint, quilibet eximere potest. §. Examen, quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque tuum esse intelligitur, donec in conspectu tuo est, nec difficilis est eius persecutio: alioquin occupantis fit. §. Pavonum et columbarum fera natura est; nec ad rem pertinet, quod ex consuetudine avolare et revolare solent. §. Cervos quoque ita quidam mansuetos habent, ut in silvas ire et redire soleant. §. In his omnibus animalibus, quae ex consuetudine abire et redire solent, talis regula comprobata est, ut eo usque tua esse intelligantur, donec animum revertendi habuerint: revertendi animum desinunt habere cum revertendi consuetudinem deserunt. §. Gallinarum et anserum non est fera natura, quod perpendere possumus ideo, quia sunt gallinae et anseres, quos feros appellamus: et ideo, quocunque casu alibi fuerint, domini manent, et qui eos celaverit lucrandi animo, furtum committit. §. Quae ex hostibus capimus iure gentium nostra fiunt; liberi homines in servitutem deducuntur, et, si evaserint, pristinum statum recipiunt.

---

3. fera natura est) *Specker. pag.* 46: fera est natura
8. hae fecerint) *Specker. pag.* 46. *falso:* hac [hae] effecerint.
10. tuo est) *Specker. l. c.:* est tuo.

§. Item quae in littore maris inveniuntur et ea, quae ex animalibus nostris nata sunt, iure naturali nostra sunt. Item quod per alluvionem agro tuo adicitur, iure gentium tibi quaeritur. alluvio est incrementum latens: per alluvionem autem adicitur quando ita paulatim adicitur, ut intelligere non possis quantum quoquo momento temporis adiciatur. §. Quod si vis fluminis partem aliquam ex tuo praedio detraxerit et praedio vicini appulerit, palam est eam tuam permanere: sed si longiori tempore inhaeserit et arbores, quas secum traxerit, in eo fundo radices egerint, ex eo tempore videntur vicini fundo adquisitae; utilis tamen actio priori domino datur. ut ff. de rei ven. l. V. nec refert secundum B[ulgàrum], radices egerit ante litem, sive pendente lite, sive post rem iudicatam.

2. animalibus) *Codex*: animalia, *sed suprascriptum est litteris* lia „libus".

9. praedio vicini appulerit) *Sic* (apulerit) *codex; Speckerus pag.* 49. *falso:* vicini praedio attulerit.

11. 12. ex eo) *Ad haec verba duobus punctis superne positis librarius annotationem marginalem indicavit, sed non adiecit. Item ad lin.* 14. *vocem* nec.

14. egerit) *Sic schedae meae; sed iam dubito, an codex habeat* egerint.

17. si mediam) *Specker. pag.* 50. *falso:* si quidem mediam.

13...15) Citatur Ulp. L. 5. §. 3. D. de rei vindic. VI. 1. Vid. Roger. Beneventan. de dissensionibus dominor. (§. 71. pag. 27.) „*In rem actionem dat* „*Martinus de arbore, quae* „*in alienum agrum translata coaluit et radices immisit, sicuti Varus et Nerva* „*tradunt, ut D. de rei vind.* „(6, 1.) *L.* 5. §. *de arbore* (3.) „*Bulgarus contra.*" De hac controversia locum in glossa ordinaria non repperi, nisi quod de salicto in Gloss. ad L. *Vitem* 3. D. arb. furt. caes. XLVII. 7. dicitur, quando iam radices immisit, arborem es-

§. Insula in mari nata occupantis fit: in flumine nata, si mediam partem fluminis teneat, communis est eorum, qui ab utraque parte fluminis praedia prope ripam possident, pro modo latitudinis cuiusque fundi, quae latitudo prope ripam est; quod si alteri parti proximior est, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam praedia possident. §. quod si aliqua parte divisum flumen, deinde infra unitum, agrum alicuius in formam insulae redegerit, eiusdem permanet is ager, cuius et fuerat. quod si naturali alveo in universum derelicto alia parte fluere coeperit, prior quidem alveus eorum est, qui prope ripam praedia possident, pro modo latitudinis cuiusque praedii, quae latitudo prope ripam est; novus autem alveus quantum ad strictam rationem iuris, non quantum ad aequitatem, eius iuris esse incipit, cuius et ipsum flumen, id est publicus. ut ff. de adquiren. r. do.; adeo flumina enim censitorum vice funguntur, ut ex publico in privatum et ex privato in publicum quid adducant. ut ff. de adquir. r. d. Ergo.; quod si ad priorem alveum reversum sit, rursus eorum esse incipit, qui prope ripam praedia possident. sed si ager ali-

11. derelicto) *Ad marginem scriptum est hoc verbum.*

se; idem Vocabularius iuris v. *actio arborum* i. f. refert.; sed memorabilis exstat apud Vacarium, haud raro Bulgari castra defendentem, (Wenckii Magister Vacarius. Lipsiae 1820. 8°. pag. 298. Not. 401.): „*de aequitate tamen potest* „[*agere*] *utiliter, ut Varus* „*et Nerva putabat, quibus* „*M*[*artinus*] *consentiebat.* „*sed nos dicimus, quod nec* „*directo, nec utiliter.*"

1... 17) §. 22. 23. Inst. tit. cit.

17) Respicit ad Gai. L. 7. §. 5. D. de adquir. rer. dom. XLI. 1.

17 ... 20) Pompon. L. *Ergo* 30. (§. 3.) D. tit. cit.

20... *p.* 268. *lin.* 3.) §. 23. extr. 24. Inst. tit. cit. II. 1.

cuius totus inundatus est, quia inundatio speciem fundi non mutat, eiusdem remanet sine dubio recedente aqua, cuius et fuerat. §. Si quis ex aliena materia aliquid fecerit, placuit media sententia existimantium, si ea species ad materiam reduci possit, eum videri dominum esse, qui materiae dominus fuerat: si non possit reduci, eum potius intelligi dominum, qui fecerit; si tamen bona fide; alioquin non. ut ff. ad exhibendum. de eo. Reduci potest vas conflatum; reduci non potest vinum factum; sed tunc datur domino utilis actio in rem in specificantem, sicut domino tabulae contra pictorem, et de arbore, quae in fundum alienum translata coaluit. ut ff. de rei ven. l. V. sed qui frumentum detegit, non novam speciem facit, sed quod est detegit, et ideo spicarum dominus frumenti dominus remanebit. ut ff. de adquiren. r. adeo. §. quod si partim ex sua materia, partim ex aliena speciem aliquam fecerit, hoc casu dominus est is, qui fecit, quia et operam et partem materiae praestavit. §. Si tamen alienam purpuram quis intexuit suo ve-

---

13. l. V. sed) *Codex inter* V. *et* sed *habuerat* Similiter; *sed subducta linea deletum est adverbium.*

15. quod est) *De his duabus vocibus non omnino certus sum.*

3... 19) Cf. §. 25. Inst. de rerum divisione II. 1.

8.9.) Paull. L. *De eo.* 12. (§. 3.) D. ad exhibendum X. 4.

9 ... 13) Cf. Glossa ‚*Et ita apparet*' ad §. 25. Inst. de rerum divisione II. 1.

13) Ulp. L. 5. (§. 3.) D. de rei vindicatione VI. 1.

16) Gai. L. *Adeo.* 7. (§. 7.) D. de adq. rer. dom. XLI. 1. Cf. Glossas ad hanc et ad §. 25. Inst. tit. cit. II. 1. Vid. praefat. pag. 250. — *Lin.* 20.

stimento, licet pretiosiorem purpuram, accessionis tamen vice vestimento cedit, et qui dominus fuit purpurae, adversus eum, qui subripuit, habet furti actionem et condictionem, sive ipse est qui vestimentum fecerit, sive alius. nam extinctae res licet vendicari non possint, condici tamen a furibus et a quibusdam aliis possessoribus possunt. §. et licet regulariter verum sit iure accessionis rem pretiosiorem trahere ad se viliorem, hoc tamen non est verum, si ut pars toto inserta sit, quia totum trahit ad se constitutionem partis etiam pretiosiorem. §. Res tribus modis extinguitur: per defectum, ut cum domus comburitur; per permutationem, ut cum numus alienatur; per inmutationem, ut cum aliquid specificatur. §. Si duorum materiae ex voluntate dominorum confusae sint, totum id corpus, quod ex confusione fit, utriusque commune est, veluti si qui vina sua confuderint. §. sed si diversae materiae sunt et ob id propria species facta sit, forte ex auro et argento electrum, idem iuris est: aliter esset, si contra voluntatem dominorum species facta esset, quia per artificem separari possent.

1. pretiosiorem purpuram accessionis tamen) *Sic codex; sed Specker. pag.* 53.*:* pretiosior sit purpura, tamen accessionis.
20. contra voluntatem) *Ita correctus codex; prius fuerat* sine voluntate.

... 7) §. 26. Inst. de rerum divisione II. 1.
7...11) Vid. Paull. L.23. D. de rei vind. VI. 1. (Cf. Glossa ,*Nota pretiosius*' ad §. 26. Inst. hoc tit. II. 1.)
11...14) Videsis Glossas ad §. 28. Inst. de rer. div. II. 1. ad §. 2. Inst. de usufr. II. 4. et ad L. 78. D. de solut. et liberat. XLVI. 3.
14...20) Cf. §. 27. Inst. h. t. II. 1.
17...*p.* 270. *lin.* 1.) Callistrat. L. *Lacus* 12. (§. 1.) D. de adquirendo rerum dominio XLI. 1.

ut ff. de ad. r. d. lacus. §. Sed si fortuito et non voluntate dominorum vel contra voluntatem facta est, communis est, sive ex diversis materiis, sive eiusdem generis facta sit. §. Quod si frumentum Titii tuo frumento mixtum sit, si quidem ex voluntate vestra, commune erit, quia singula grana vestro consensu communicata sunt; quod si casu mixtum sit, vel Titius admiscuerit sine voluntate tua, non videtur esse commune, quia singula corpora in sua substantia durant. nec magis isto casu commune fit, quam grex communis fieret, si pecora Titii tuis pecoribus admixta essent. sed si ab alterutro vestrum id totum frumentum retineatur, in rem quoque actio pro modo frumenti cuiusque competit; arbitrio tamen iudicis continetur, ut existimet quale cuiusque frumentum fuerit. §. Si quis alienam plantam in suo solo posuerit, vel suam in alieno, cedet solo, si utroque casu radices egerit; antea enim, quam radices agat, eius permanet, cuius fuerat. §. Prope vicinium*) arbor posita, si

*) *In margine* vel confinium.

6. vestro) *Codex:* nostro.
7. mixtum sit) *Sic codex; Specker. pag.* 55. mixtum fuerit.
11. communis) *Codex:* commune [?] *Nihil tamen admonet Specker.*
11. 12. admixta essent) *Sic codex; Specker. pag.* 56.: admixta fuerint.
15. ut existimet) *Codex:* ut ex estimet. *Specker. l. c.:* ut aestimet.
19. vicinium) *Specker. pag.* 58. *legerat* vianium, *quod verbum inauditum in lexicis quoque latinitatis medii aevi se frustra quaesivisse dicit.* (*Cf. Vocabularius v.* confinia.)

1...15) §. 27. i. f. et §. 28. Inst. de rerum divisione II. 1.
16... *p.* 271, *lin.* 20) Cf. §. 31...34. Inst. tit. cit. II. 1.

etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit. §. Eadem etiam ratione frumenta sata solo cedunt. §. Is, qui alienum fundum bona fide sevit vel plantavit, si possidet, exceptione doli mali se tueri poterit, sicut bonae fidei aedificator. ut C. de rei v. Si quis. §. Litterae quoque, licet aureae sint, similiter chartae cedunt, et si ille, qui litteras in aliena charta scripserit, possidet, tuetur doli mali exceptione, utique si bona fide chartae possessionem nactus sit. §. Si quis pinxerit in aliena tabula, tabula picturae cedet; ridiculum enim esset picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimae tabulae cedere. unde si a domino tabulae, imaginem possidente, is, qui pinxit, eam petat, nec solvat pretium tabulae, poterit per exceptionem doli mali submoveri: at si is, qui pinxit, possideat, consèquens est, ut utilis actio domino tabulae adversus eum detur; quo casu, si non solvat impensam picturae, poterit per exceptionem doli mali repelli; utique si bonae fidei possessor fuerit ille, qui picturam imposuerit. et secundum B[ulgarum] hic

8. tuetur) *Nescio an male legerim aut, quod magis putem, codex voculam se omiserit.*

11. *Codex*: apellis vel parasii.

5) Diocl. et Max. const. *Si quis* 11. Cod. de rei vindicatione III. 32.

6... 9) De dissensione Iacobi aliorumque circa litteras aureas positas in aliena charta vel membrana, de qua cf. Rogerius Beneventanus de dissensionibus dominorum §. 19. pag. 9., Nostrum nihil habere probe monendum videtur.

20... *p.* 272. *lin.* 5.) Glossa v. *directam actionem* ad L.9.§.2. D.de adq.rer.dom.XLI.1.„Directam actionem: *Si bona fide pinxit: licet P[lacentinus] dixit, sive bona, sive mala... Item nota hic casum secundum M[artinum], quo deterior est*

est casus, in quo deterior est condicio possidentis: secundum M[artinum] deterior non fit; dicit enim, si dominus, cum non possidet, offerendo pretium habet actionem, multo fortius, cum possidet, habet exceptionem, si offerat pretium. §. Illud tamen palam est, quod, sive is qui pinxit, sive alius subripiat tabulam, competit domino tabulae furti actio. §. Si quis a non

---

3 *et* 4. habet) *Codex:* dat; *nam* dat *et* hāt *librarius confudit.*
6. subripiat) *Legendum:* subripuerit, *aut cum Inst.* subripuit.

„*conditio possidentis. Item* „*quod alicui datur actio,* „*cui non datur exceptio. Item* „*et quod non potest obiici* „‚*Dolo facis*' *etc. .... Sed* „*Bulga*[*rus*] *et Joan*„[*nes*] *et R*[*ogerius*] *con*„*tra: unde si dominus tabu*„*lae vendicet a pictore pos*„*sidente, poterit pictor pos*„*sidens eum repellere offe*„*rendo ei pretium tabulae,* „*etiamsi vellet ille ei offerre* „*pretium picturae, et sic in* „*aliis dicas.*" Cf. Glossa ‚*Et* „*nos damus secundum M.*' ad Ulpian. L. 5. §. 3. D. de rei vind. VI. 1.; ubi illa Bulgari et Joannis opinio opinioni Martini contraria iterum ventilatur. Item Roger. Benev. de diss. dominor. (§. 20. pag. 9.) „*Dissident in pictura* „*posita in aliena tabula;* „*nam cum factus sit domi*„*nus qui tabulam pinxit, ha*„*bet directam rei vindicatio*„*nem etiam adversus domi*„*num, vel si paratus est pre*„*tium tabulae solvere, simili* „*modo sine distinctione da*„*tur utilis vindicatio domino* „*tabulae parato solvere pre*„*tium picturae. Asserunt* „*quoque hunc esse casum,* „*in quo deterioris conditionis* „*est possessor, postquam pe*„*titor dicit se dominium ta*„*bulae offerendo pretium pi*„*cturae petere, nisi dominus* „*picturae paratus fuerit sol*„*vere pretium tabulae, ne* „*videatur deterioris condi*„*tionis esse cum possideat,* „*quam is qui petit; et uter*„*que argumentatur L. Qua* „*ratione* 9. §. *Litterae* 1. *in* „*Gloss. verb. Directam. D.* „*de adq. rer. dom.* (41, 1.) „*et Inst. de rer. divis.* (2, 1.) „§. *Si quis in aliena tab.* 34. „*et in Gloss. v. Imposuit.* „*ibidem.*"

5... *p.* 273. *lin.* 6.) §. 34. i. f. §.

domino, quem dominum esse credebat, bona fide emerit, aliave qua iusta causa ab eo acceperit fundum, naturali ratione placuit fructus, quos percepit, eius esse pro cultura et cura*); et ideo si dominus postea [su]pervenerit et fundum vendicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest; §. sed extantes officio iudicis cogitur restituere deductis expensis. idem est in bonae fidei possessore sine titulo. ut C. de rei ven. Cer.: pendentes vendicantur a bonae fidei possessore cum ipsa re, sive cum titulo, qui tenetur unde de perceptis, sive sine titulo, qui tenetur de percipiendis. ut C. de rei ven. do. ceterum extantes vendicatione, condictione sine causa vel ex lege. ut C. de condi[c]t. ex lege. l. [antepen]ult. §. Is, qui alienum fundum sciens possedit, etiam consumptos fructus cum

*) *Glossa marginalis*: Sed non idem in fructibus provenientibus natura. nullus enim bonae fidei possessor fuit. ut ff. de usufr. per [? *Vult L. Qui scit* 25. *D. de usuris* XXII. 1. *Cf. Paull. L.* 48. *pr. D. de adq. rer. dom.* XLI. 1. *cum Glossa* „*Id est etiam quae diligentia*" *ad h. l. et Glossa* „*Scilicet industriales*" *ad* §. 35. *Inst. infra cit.*]

5. supervenerit) *Codex:* pervenerit.
11. tenetur de) *Codex*: tenetur tamen (*aut* tantum?) de*; sed media vox linea subducta deleta est.*
17. antepenult.) *Codex*: ult. *sed falso.*

35. tit. cit. Nulla apud Nostrum variantium sententiar. mentio, quas Roger. Benevent. de diss. dom. (§. 49. pag. 21.) refert, Iacobum tamen solum nominans. Vid. Vocabularius v. *fructus dicuntur.*

6. . . . 14) Diocl. et Max. const. *Certum* 22. Cod. de rei vind. III. 32. Gordian. const. *Domum* 5. Cod. eod. Diocl. et Max. c. 3. Cod. de condict. ex lege IV. 9. 14. . . *p.* 274. *lin.* 1.) §. 35. i. f. §. 36. pr. Inst. tit. cit. II. 1.

fundo cogitur restituere. §. Is, ad quem *) ususfructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quam si eos ipse perceperit § vel per se vel per alium. et in hoc differt fructuarius a bonae fidei possessore, cuius fiunt, quoquo modo a solo separati fuerint. ut ff. de usuris. Qui scit.; et ideo si fructuarius maturis fructibus nondum perceptis decesserit, ad heredem eius non pertinent, sed domino proprietatis adquiruntur. Eadem fere et de colono dicuntur. §. fere ideo dicitur, quia sicut usufructuarius fructus percipiendo suos facit, ita et iste: sed in eo differt, quia colonus transferre potest ad heredem, non autem usufructuarius; vel quia coloni, qui nummis colit, fructus fuerint subrepti a fure. ut ff. de furt. Si apes.

---

*) *Glossa marginalis:* Cui fur tenetur actione furti, proprietario condi[c]tione furtiva. ut ff. de usufr. arboribus. [*i. e. Ulp. L.* 12. §. 5. *D. de usufr. VII.* 1.]

---

13. 14. *Aperte mutilus locus est, sed facilis restitutu ex Paulli cit. L. Si apes.* 26. *D. de furtis XLVII.* 2., *cuius* §. 1. *haec habet:* „Item constat colonum, qui nummis colat, cum „eo, qui fructus stantes surripuerit, acturum furti; quia, ut „primum decerptus esset, eius esse coepisset." *Vid. infra.*

---

1. .. 6) Iulian. L. *Qui scit* 25. (§. 1.) D. de usuris XXII. 1.
6. .. 9) §. 36. Inst. tit. cit.
10. .. 14) Cf. Roger. Benevent. de diss. dominor. §. 69. pag. 27. „*Pugnant in condictione „furtiva, an competat colo„no. Martinus dicit com„petere ei, qui ad pecuniam „conduxit, ut D. de furt. „(47, 2.) L. Si apes.* 26. *§. „ult. Bulgarus dicit nulli „competere colono.*" Glossa ad §. 36. Inst. h. t. II. 1. „*de „colono, qui nummis colit. „nam omnes fructus facit „suos, ut usufructuarius. „sed differunt, quia colonus*

§. In pecudum fructu etiam fetus est, sicut lac, pilus et lana. sed partus ancillae in fructu non est, et ideo ad proprietarium pertinet: absurdum enim videretur hominem in fructu esse. §. Si gregis usumfructum quis habeat, in locum demortuorum capitum ex fetu fructuarius summittere debet; et mortua fiunt fructuarii, summissa vero proprietarii. ut ff. de usuf. vel inutilium. Similiter in locum demortuarum arborum vel vinearum alias substituere debet, et recte colere et tanquam bonus pater familias uti. §. Item stipendiaria et tributaria praedia alienari possunt, quorum dominium quaeritur. Vocantur autem stipendiaria et tributaria praedia quae in provinciis sunt, inter quae nec non Italica ex nostra constitutione nulla differen-

---

16. *Specker. pag.* 9. *Not. h. et pag.* 16. *quod Noster omisit initium §i.* 40. *Inst.* „*nihil generatim de traditione* „*adiiciens statim ad stipendiaria et tributaria praedia* „*transitum facit,*“ *putat* „*scribae potius, quam perito* „*auctori*“ *tribuendum esse. Auctoris, si hoc nomine epitomatorem ornare volueris, peritiam ego certe non ita magnam dixerim.*

„*talis facit fructus suos statim ut a solo decerpti sunt,* „*ut ff. de furt. L. si apes.* „*§. fi. secus in usufructuario, ut hic dicitur. vel dicas* „*de partiariis, ut ff. de locat. et conduct. l. cum in* „*plures. §. messem. secundum Azo. Item dicit ,fere‘* „*propter aliud, quia colonus transmittit ad heredem, ut infra de locat. et* „*conduct. §. fi. sed fructuarius non, ut hic.*“ Vocabularius: „*Colonus ad nummum* „*conductus est ille, qui statim cum fructus fuerint a* „*solo separati, ut usufructuarius intelligitur sec. Io[hannem] ff. de fur. L. si apes.*

1...13) Cf. §. 37. 38. 40. Inst. tit. cit. II. 1.

7) Pomp. L. 69. D. de usuf. VII. 1.

14) Iustinian. const. un. Cod.

tia est. ut C. de usuc. trans. §. Provinciae ex causa nomen acceperunt: principatus namque gentium, qui ad reges alios pertinebant, cum in ius suum Romani vincendo redigerent, procul positas regiones provincias appellaverunt; sic dictae sunt provinciae quasi pro victoria subditae. §. Venditarum rerum dominium quaeritur emptori, si pretium solutum aut alias satis factum sit, vel si fides habita est emptori. §. Interdum sine traditione sola voluntas domini sufficit ad dominium transferendum, veluti si is, qui rem apud te deposuerit, eam donaverit tibi. §. Item si quis merces in horreo depositas vendiderit, simul atque claves horrei apud horrea tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium in emptorem. §. Interdum in incertam personam domini collata voluntas trans-

1. *Quid Speckerus (pag. 8.) sibi voluerit his verbis: „unico „loco etymologia e Festo ut videtur sumpta (semel ut „glossa interlinearis) addita sunt." probe dicam me non ita bene intelligere; maiorem enim loci partem apud Isidorum infra cit. legimus, et ipsa verba minime tanquam interlinaris glossa, sed sine distinctione in ipso contexto epitomae nostrae conspiciuntur.*

2. 3. qui ad reges alios pertinebant) *Specker. pag.* 14. *contra codicem*: cum ad reges alios pertinebat. *Sed de voce* qui *dubitari potest, utrum* qui *an* quod *scriptum sit.*

4. redigerent) *Apud Specker. l. c. est* redigerant; *quod tamen operis tribuendum videtur.*

13. 14. transfert) *Codex*: transferre.

---

de usucap. transform. VII. 31.
1...5) Cf. Isidor. orig. XIV. cap. 5. (ed. Gothofred. col. 1173. lin. 41. seqq.)
5...6) Vid. Festus v. provinciae. (ed. Gothofr. col. 384.)
6...8) Cf. §. 41. init. Inst. tit. cit. II. 1.
8...*p.* 277. *lin.* 12.) Cf. §. 44...48. Inst. tit. cit. II. 1.

fert proprietatem, ut cum praetor missilia iactat in vulgus. ignorat enim quid quisque eorum capturus sit. Eadem etiam ratione rei pro derelicto habitae dominium quaeritur ex quo fuerit inventa. pro derelicto enim habetur quod dominus ea mente abiecit, ut id suarum rerum esse nollet. alia causa est earum rerum, quae in tempestate causa levandae navis eiciuntur non supra dicta intentione; qua de causa siquis in ipsis fluctibus eas depulsas lucrandi animo abstulerit, furtum committit. nec longe discedere videntur ab his rebus quae de reda currente et dominis non intelligentibus cadunt.

§. Si quadrupes pauperiem fecerit, siquidem lascivia [VIII.] aut fervore aut feritate, animalis nomine, quod ratione

---

[VIII. SI QUADRUPES PAUPERIEM FECISSE DICATUR.]

---

1. missilia) *Codex*: miscilia.
5. enim) *Ita codex; sed* autem (ā *non* n.) *scribi debebat.*
13. *Ingeniose Specker. pag.* 11. „*Quid?*" *ait* „*quod rheda* „*currens, de qua in proxime antecedentibus sermo erat,* „*id efficere potuit, ut tractatus de actionibus a parti-* „*cularibus hisce inciperet, generaliora sequerentur: a* „*rheda enim ad quadrupedes, quibus vehitur, si quidem* „*eorum ingenii lusorum memineris, quales ex medio* „*aevo oriundos hodieque monachi et alii non nulli ex-* „*ercere solent, facilis transitus est.*"
13. 14. *Codex*: §. Si quadrupes pauperiem fecerit. = animalis nomine quod ratione caret. = siquidem ... feritate. noxalis actio etc. *Duplices lineolae transponenda esse verba indicant. Specker. pag.* 11. *verba* „si quadrupes pauperiem fecerit" *inscriptionem esse putavit,* „*quales alibi semper omit-* „*tuntur.*"

Ad tit. VIII.) Tit. Inst. si quadrup. pauper. fecisse dic. IV. 9.

caret, noxalis actio lege xii. t. prodita est, ut puta si equus calcitrosus calce percusserit. haec enim actio in his, quae contra naturam moventur, locum habet; ceterum si genitalis sit feritas, cessat. denique si ursus fugerit a domino et sic nocuit, non potest quondam dominus conveniri, quia desiit dominus esse ut fera evasit. Pauperies autem est damnum sine iniuria facientis datum. §. Sciendum est ceterum aedilicio edicto prohiberi nos canem, verrem, aprum, ursum, leonem ibi habere, quo vulgo iter fit, et si adversus ea factum erit et ⌈* nocitum fuerit libero homini, quod bonum et aequum iudici videtur, tanti dominus condemnetur; ceterarum rerum quanti damnum datum sit, dupli. praeter has autem aedilicias actiones *) et de pauperie locum habebit: nunquam enim actiones, praesertim poenales, de eadem re concurrentes alia aliam consumit.

---

*) *Verbis* nocitum...actiones *hae glossae interlineares suprascriptae sunt, quas totidem fere verbis Accursius ad* §. 1. *Inst. tit. cit. IV.* 9. *repetiit:* § in corpore ita, quod non sit mortuus; alioquin solidi ducenti dabuntur. ut ff. de edendo [?] Quo vulgo. [*vult autem Ulp. L. Qua vulgo.* 42. *D. de aedil. edicto XXI.* 1.] *Tum sequitur:* § ratione deformitatis non habita, sed impensarum in curationem factarum et operarum amissarum. ut ff. e. Ex hac. [*i. e. Gai. L. Ex hac lege* 3. *D. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur IX.* 1.]

---

3. naturam) *Suprascriptum est* suam.

7. ut) *Ita est in schedis meis; sed dubito an recte non transscripserim, nam institutiones* ubi *habent, et nihil admonet Specker.*

§. Sunt quaedam actiones, quas praetor ex sua iurisdictione comparatas habet, tam in rem quam in personam, quas necessarium est exemplis subicere: ecce plerumque ita permittit in rem agere, ut vel actor diceret se quasi usucepisse quod usu non ceperit, vel ex diverso possessor diceret adversarium suum usu non cepisse quod usuceperat. nam si cui ex iusta causa res aliqua tradita fuerit, veluti donationis, necdum eius rei dominus effectus est, si eius rei possessionem casu amiserit, nullam habet in rem directam actionem ad eam rem recuperandam; quippe ita proditae sunt actiones iure civili, ut quis dominium suum vendicet: sed quia sane durum erat eo casu deficere actionem, inventa est a praetore actio, in qua dicit is, qui possessionem amisit, eam rem se usucepisse, et ita vendicat suam esse, quae actio Publiciana appellatur, quoniam primo a Publicio praetore inventa est. §. Ex diverso cum quis rei publicae causa abesset, vel in hostium potestate, rem eius qui in civitate erat usuceperit, permittitur domino, si possessor rei publicae causa abesse desierit, tunc intra annum, rescissa usucapion, eam petere, id est ita petere, ut dicat possessorem usu non cepisse et ob id suam rem esse. quod genus actionis quibusdam aliis simili aequitate motus praetor accommodat. §. Item si quis in fraudem [IX.]

[IX. DE ACTIONIBUS.]

---

5. se quasi) *Codex*: se *et superne* quasi.
17. Publicio) *Codex*: publio.

Ad tit. IX.) §. 3. .. 7. Inst. de actionibus IV. 6.

caret, noxalis actio lege xii. t. prodita est, ut puta si equus calcitrosus calce percusserit. haec enim actio in his, quae contra naturam moventur, locum habet; ceterum si genitalis sit feritas, cessat. denique si ursus fugerit a domino et sic nocuit, non potest quondam dominus conveniri, quia desiit dominus esse ut fera evasit. Pauperies autem est damnum sine iniuria facientis datum. §. Sciendum est ceterum aedilicio edicto prohiberi nos canem, verrem, aprum, ursum, leonem ibi habere, quo vulgo iter fit, et si adversus ea factum erit et ⌈* nocitum fuerit libero homini, quod bonum et aequum iudici videtur, tanti dominus condemnetur; ceterarum rerum quanti damnum datum sit, dupli. praeter has autem aedilicias actiones *) et de pauperie locum habebit: nunquam enim actiones, praesertim poenales, de eadem re concurrentes alia aliam consumit.

---

*) *Verbis* nocitum...actiones *hae glossae interlineares suprascriptae sunt*, *quas totidem fere verbis Accursius ad* §. 1. *Inst. tit. cit. IV.* 9. *repetiit:* § in corpore ita, quod non sit mortuus; alioquin solidi ducenti dabuntur. ut ff. de edendo [?] Quo vulgo. [*vult autem Ulp. L. Qua vulgo.* 42. *D. de aedil. edicto XXI.* 1.] *Tum sequitur:* § ratione deformitatis non habita, sed impensarum in curationem factarum et operarum amissarum. ut ff. e. Ex hac. [*i. e. Gai. L. Ex hac lege* 3. *D. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur IX.* 1.]

---

3. naturam) *Suprascriptum est* suam.

7. ut) *Ita est in schedis meis; sed dubito an recte non transscripserim, nam institutiones* ubi *habent*, *et nihil admonet Specker.*

§. Sunt quaedam actiones, quas praetor ex sua iurisdi- [IX.]
ctione comparatas habet, tam in rem quam in personam, quas necessarium est exemplis subicere: ecce plerumque ita permittit in rem agere, ut vel actor diceret se quasi usucepisse quod usu non ceperit, vel ex diverso possessor diceret adversarium suum usu non cepisse quod usuceperat. nam si cui ex iusta causa res aliqua tradita fuerit, veluti donationis, necdum eius rei dominus effectus est, si eius rei possessionem casu amiserit, nullam habet in rem directam actionem ad eam rem recuperandam; quippe ita proditae sunt actiones iure civili, ut quis dominium suum vendicet: sed quia sane durum erat eo casu deficere actionem, inventa est a praetore actio, in qua dicit is, qui possessionem amisit, eam rem se usucepisse, et ita vendicat suam esse, quae actio Publiciana appellatur, quoniam primo a Publicio praetore inventa est. §. Ex diverso cum quis rei publicae causa abesset, vel in hostium potestate, rem eius qui in civitate erat usuceperit, permittitur domino, si possessor rei publicae causa abesse desierit, tunc intra annum, rescissa usucapione, eam petere, id est ita petere, ut dicat possessorem usu non cepisse et ob id suam rem esse. quod genus actionis quibusdam aliis simili aequitate motus praetor accommodat. §. Item siquis in fraudem

---

[IX. DE ACTIONIBUS.]

---

5. se quasi) *Codex*: se *et superne* quasi.
17. Publicio) *Codex*: publio.

Ad tit. IX.) §. 3. .. 7. Inst. de actionibus IV. 6.

creditorum rem suam alicui tradiderit, bonis eius ex sententia praesidis a creditoribus possessis, ipsis creditoribus, rescissa traditione, eam petere rem permittitur, id est dicere rem traditam non esse et ob id in bonis debitoris mansisse. §. Item Serviana et quasi Serviana, quae etiam hypothecaria vocatur, ex ipsius praetoris iurisdictione substantiam capit: Serviana autem experitur quis de rebus coloni, quae pignoris iure pro mercedibus fundi tenentur; quasi Serviana, qua creditores pignora hypothecasve persequuntur.

---

9. fundi) *Ita recte codex. Specker. pag.* 65. fundum; *sed procul dubio sphalmate.*

SILLYBUS:

I. COLLATIO RUBRICARUM SIVE TITULORUM PRIORIS PORTENSIS[a] ATQUE SENCKENBER-

EDITIONIS NOSTRAE			ED. A PORTA	EDITI-
pagin.	Rubricae.	Titulorum numeri.	Titulorum numeri.	Capitum numeri.
	L I B E R			
1	De iustitia et iure . .	1	1	1
2	— iure naturali, gentium et civili	2	2	2
6	— — personarum . .	3	3	3
7	— ingenuis	4	4	4
8	— libertinis et eorum manumissione	5	5	5
9	Qui manumittere possunt .	6	6	6
10	Quibus modis manumissio procedat	7	7	7
11	De his, qui sui iuris vel alieno iuri subiecti sunt . .	8	8	8
12	— nuptiis	9	9	{ 9,1. 9,2.
16	— adoptionibus	10	10	(9,2)10
18	Quibus modis ius patriae potestatis solvatur	11	} 11 12	{ 11
20	Quibus modis ius dominicae potestatis solvitur . . .	12		12
21	De tutelis	13	13	13
23	Quo modo tutores dentur .	14	14	14
25	De excusatione tutorum . .	15	{ 15 16	} 15
26	De suspectis	16	17	} 16
27	— reddenda ratione tutelae .	17	18	
—	— curatoribus	18	19	17
	L I B E R			
29	De rebus divini iuris et humani	1	1	1
33	De adquirendo rerum dominio	2	2	2
—	— occupatione . . .	3 }	3 {	3
35	— inventione	4 }		4
36	— specificatione . . .	5 }	4 {	5
—	— contributione sive commixtione	6 }		6
37	— accessione	7	5	7
38	— traditione et possessione adquirenda, retinenda, amittenda	8	6	8

a) Cum omnes edd. praeter Boniat., Reusn., Senck., et nostr. in rubricarum verbis cum Sennet. fere conspirent, sufficit ex priori Hugonis 2

EDITIONIS NOSTRAE CUM SENNETONIANAE
GIANAE EDITIONUM RUBRICIS CAPITUM.

	ONIS SENCKENBERGIANAE	EDITIONIS SENNETONIANAE
	Rubricae.	Rubricae.
	P R I M U S.	
	. . * b) . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
5	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
	. . . . .	. . . . .
10	De nuptiis — liberis naturalibus tantum et iniustis.	. . * . .
	— liberis civilibus et adoptivis.	. . * . .
15	Quibus modis liberi in potestate esse desinant. Quibus modis servi in potestate esse desinant.	Quomodo ius patriae potestatis solvatur. De emancipationibus.
	. . * . .	. . * . .
20	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	De excusatione tutorum. Intra quod tempus se quis excusare debeat.
	De suspectis tutoribus et de reddenda ratione tutelae.	. . * . .
25		. . * . .
	. . * . .	. . * . .
	S E C U N D U S.	
	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
30	. . * . . . . * . .	De occupatione.
	. . * . . . . * . .	De specificatione.
	. . * . .	. . * . .
35	De traditione . . .	. . * . .
	. . . . .	. . . . .

Porta editione numeros titulorum adscripsisse.

b) Asteriscus significat rubricam a nostra omnino non diversam esse.

I. COLLATIO RUBRICARUM SIVE TITULORUM PRIORIS PORTENSIS[a] ATQUE SENCKENBER-

EDITIONIS NOSTRAE			ED. A PORTA	EDITI-
pagin.	Rubricae.	Titulorum numeri.	Titulorum numeri.	Capitum numeri.
	L I B E R			
1	De iustitia et iure . .	1	1	1
2	— iure naturali, gentium et civili	2	2	2
6	— — personarum . .	3	3	3
7	— ingenuis	4	4	4
8	— libertinis et eorum manumissione	5	5	5
9	Qui manumittere possunt .	6	6	6
10	Quibus modis manumissio procedat	7	7	7
11	De his, qui sui iuris vel alieno iuri subiecti sunt . .	8	8	8
12	— nuptiis	9	9	{9,1. 9,2.
16	— adoptionibus . . .	10	10	(9,2)10
18	Quibus modis ius patriae potestatis solvatur	11	} 11 12	} 11
20	Quibus modis ius dominicae potestatis solvitur . . .	12		12
21	De tutelis	13	13	13
23	Quo modo tutores dentur .	14	14	14
25	De excusatione tutorum . .	15	{ 15 16	} 15
26	De suspectis	16	17	} 16
27	— reddenda ratione tutelae .	17	18	
—	— curatoribus . . .	18	19	17
	L I B E R			
29	De rebus divini iuris et humani	1	1	1
33	De adquirendo rerum dominio	2	2	2
—	— occupatione . . .	3	} 3 {	3
35	— inventione . . .	4		4
36	— specificatione . . .	5	} 4 {	5
—	— contributione sive commixtione	6		6
37	— accessione . . .	7	5	7
38	— traditione et possessione adquirenda, retinenda, amittenda	8	6	8

a) Cum omnes edd. praeter Boniat., Reusn., Senck., et nostr. in rubricarum verbis cum Sennct. fere conspirent, sufficit ex priori Hugonis a

EDITIONIS NOSTRAE CUM SENNETONIANAE
GIANAE EDITIONUM RUBRICIS CAPITUM.

ONIS SENCKENBERGIANAE	EDITIONIS SENNETONIANAE
Rubricae.	Rubricae.
P R I	**M U S.**
. . * [b] . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . . . .	. . . . .
De nuptiis — liberis naturalibus tantum et iniustis.	. . * . .
— liberis civilibus et adoptivis.	. . * . .
Quibus modis liberi in potestate esse desinant. Quibus modis servi in potestate esse desinant.	Quomodo ius patriae potestatis solvatur. De emancipationibus.
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	De excusatione tutorum. Intra quod tempus se quis excusare debeat.
De suspectis tutoribus et de reddenda ratione tutelae.	. . * . . . . * . .
. . * . .	. . * . .
S E C U	**N D U S.**
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . . . . * . .	De occupatione.
. . * . . . . * . .	De specificatione.
. . * . .	. . * . .
De traditione . . .	. . * . .
. . . . .	. . . . .

Porta editione numeros titulorum adscripsisse.

b) Asteriscus significat rubricam a nostra omnino non diversam esse.

EDITIONIS NOSTRAE			ED. A PORTA	EDITI-
pagin.	Rubricae.	Titulorum numeri.	Titulorum numeri.	Capitum numeri.
41	Quibus modis civili iure dominia rerum nobis quaerantur, ac primum de usucapione.	9	7, 8	9
42	De praescriptione longi temporis	10		10
43	— — triginta vel quadraginta annorum . .	11	9	11
46	— iuris et facti ignorantia . .	12		12
48	— donationibus	13	10, 11	13
52	— rebus corporalibus vel incorporalibus	14	12	14
53	— servitutibus praediorum urbanorum aut rusticorum .	15	13	15
54	— usu et usufructu et habitatione	16	14, 15	16
56	Per quas personas nobis adquiritur.	17	16	17
58	De adquisitionibus per universitatem	18	17	18
59	— testamentis . . .	19	18	19
60	Qui testamentum facere non possunt.	20	19	20
61	— heredes institui possint vel non possint . . .	21	20	21
62	De divisione hereditatis . .	22	21	22
63	— liberis exheredandis vel heredibus instituendis . .	23	22	23
65	— lege Falcidia	24	23	24
—	— distributione rerum inter liberos	25	24	25
66	— substitutionibus et restitutionibus	26	25	26
67	Si heres legata solvere noluerit	27	26	27
68	De legatis et fideicommissis .	28	27	28
69	— retentione Falcidiae ex SC. Trebelliano	29	28	29
70	— confectione inventarii . .	30	29	30
71	— imminutione vel exclusione Falcidiae	31	30	
72	— codicillis	32	31	31
—	— iniusto, irrito et inofficioso testamento	33	32	32
73	— hereditatibus, quae ab intestato deferuntur	34	33	33
76	— bonorum possessionibus .	35	34	34
77	— adquisitione per arrogationem	36	35	
78	— eo, cui libertatis causa bona addicuntur . . .	37		35

	ONIS SENCKENBERGIANAE	EDITIONIS SENNETONIANAE
	Rubricae.	Rubricae.
	De civili acquisitione, ac primum de usucapione	Quibus modis iure civili dominia rerum nobis quaerantur
	. . . . .	Quae res usucapi non possunt.
	. . * . .	. . . . .
5	— praescr. XXX. (vel XL.) ann.	De praescriptione triginta annorum . . .
	— rescindenda possessione et usucapione per rest. i. i.	. . . . .
		De donationibus.
	. . * . .	Quib. mod. revocantur donationes
10	. . * . .	. . * . .
	. . . . .	. . . . .
	De servitutibus praediorum urbanorum ac rusticorum	. . * . .
		. . . . .
		De usu et usufructu et habitat.
15	. . * . .	Quibus modis servitutes personarum tollantur . .
	. . * . .	Quia ostensum est quae res etc.
	. . * (ac primum de haereditate)	. . * . .
		. . . . .
20	. . . . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
	. . . . .	. . . . .
	. . * . .	. . * . .
	. . . . .	. . . . .
25	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
	. . . . .	. . . . .
	De legitima Falcidia	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
30	. . . . .	. . . . .
	. . * . .	. . * . .
	. . . . .	. . . . .
	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
35	. . * . .	. . * . .
	. . . . .	. . . . .
		. . * . .
	De confectione inventarii	. . * . .
		. . . . .
40	. . * . .	. . * . .
	De rupto, irrito et inofficio testamento.	. . * . .
		. . . . .
	. . * . .	. . * . .
	. . . . .	. . . . .
45	De bonorum possessione	De bonorum possessione.
	De arrogatione et bonorum addictione.	De arrogationibus.

EDITIONIS NOSTRAE			ED. A PORTA	EDITI-
pagin.	Rubricae.	Titulorum numeri.	Titulorum numeri.	Capitum numeri.
	LIBER			
79	De obligationibus	1	1	1
—	— pactis	2	2	2
82	— contractibus	3	3	3
83	— mutuo	4	4	4
84	— commodato	5	5	5
85	— deposito	6	6	6
87	— pignoribus	7	7	7
88	— contractu innominato .	8	8	8
89	— verborum obligationibus .	9	9	9
91	— fideiussoribus et mandatoribus	10	10	10
93	— obligatione scriptura .	11	11	11
94	— contractu ex consensu .	12	12	12
95	— emptione et venditione .	13	13	13
99	— locatione et conductione .	14	14	14
100	— societate	15	15	15
102	— mandato	16	16	16
104	— obligationibus quasi ex contractu	17	17 18	17
106	Quibus modis obligatio tollitur	18	19 20 21	18
109	De obligationibus quae ex maleficio nascuntur . . .	19	22	19
—	— furtis	20	23	
112	— rapina	21	24	20
114	— damno iniuria dato . .	22	25	21
117	— iniuria	23	26	22
121	— obligationibus, quae quasi ex maleficio nascuntur . .	24	27	23
	LIBER			
123	De actionibus	1	1	1
—	— iudiciis	2		
124	[1] De personis iudiciis intervenientibus	3	2	2
125	Quibus ex causis personae prohibeantur	4	3	3
132	[2] De iurisdictione . . .	5	4	4
134	De arbitris	6	5	5
135	[3] De temporibus iudiciorum. .	7	6	6
140	[4] De loco, ubi quis agere vel conveniri debeat. . .	8	7	7
143	[5] De causis	9	8	8 9
146	De in ius vocando . .	10	9	10

ONIS SENCKENBERGIANAE	EDITIONIS SENNETONIANAE
Rubricae.	Rubricae.
TERTIUS.	
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	De stipulationibus.
. . * . .	. . * . .
De obligatione literarum .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	De societatibus.
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . . . .	De communi dividundo.
	Obligatio quot modis tollatur.
Quibus modis tollitur obligatio.	De acceptilationibus.
	— compensationibus.
De obligationibus ex maleficio: ac primum de furtis.	. . * . .
	. . . . .
. . . . .	. . * . .
— rapina (sive vi bonorum raptorum.)	. . * . .
— damno (iniuriae ex L. Aquilia.)	De damno.
	.
. . * . .	. . * . .
— obligationibus ex quasi maleficio.	— actionibus, quae quasi ex maleficio nascuntur.
QUARTUS.	
De actionibus et iudiciis	De actionibus.
	— iudiciis.
— personis iudiciorum .	
. . * . .	. . * . .
. . . . .	. . . . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
. . * . .	. . * . .
De loco (iudicii), ubi quis agere vel conveniri debeat .	. . * . .
	. . . . .
— causis.	. . . . .
— edendo.	. . * . .
. . * . .	. . * . .

EDITIONIS NOSTRAE			ED. A PORTA	EDITI-
pagin.	Rubricae.	Titulorum numeri.	Titulorum numeri.	Capitum numeri.
148	De iureiurando actoris, rei et advocatorum	11	10	11
149	— sacramento dando pro suspicione	12	11	
151	— litis contestatione	13	12	12
152	— quaestione facti vel iuris seu nominis	14	13	13
—	— probationibus	15	14	14
154	— testibus	16	15	15
155	— fide instrumentorum	17	16	16 17
157	— actionibus	18	17	18
—	[1] Ex qua causa nascitur actio.	19	18	19
158	[2] Ex quo iure proficiscatur actio.	20		20
159	[3] Cui competat actio	21	19	21
160	[4] Adversus quem competat	22	20	22
161	[5] Quid in actione veniat	23	21	23
168	[6] De officio iudicis	24	22	24
169	De actione in nos ex contractu filiorum vel servorum	25	23	25
172	— noxalibus actionibus	26	24	26
173	— pauperie	27	25	27
—	— interdictis	28	26	28 29
176	— exceptionibus	29	27	30
178	— criminalibus causis	30	28	31
179	— poenis	31	29	32
180	— publicis iudiciis	32	30	33
187	— sententiis et provocationibus	33	31	34
190	Qui provocare non possunt	34	32	35
191	Intra quod tempus omnis provocatio fieri debeat	35	33 34	36

	ONIS SENCKENBERGIANAE	EDITIONIS SENNETONIANAE
	Rubricae.	Rubricae.
	De iureiurando actoris, rei, advocatorum et ipsius iudicis.	. . * . .
		. . . . .
		. . * . .
		. . . . .
6	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
	. . . . .	. . . . .
	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
10	— fide instrumentorum .	. . * . .
	— iuris et nominis quaestione probanda . .	
	. . * . .	. . * . .
	Ex quo iure actio proficiscitur.	Quae ex obligatione nascuntur,
15	citur.	dicuntur in person , quae ex *etc.*
	Cui actio competit . .	Ex quo iure proficiscatur actio
	Adversus quem (actio) competat	. . * . .
	Quid in actione venit .	Quid in actione venit,
	. . * . .	. . * . .
20	De actione in nos ex contractibus filiorum vel servorum.	. . * . .
		. . . . .
	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	. . * . .
	— interdictis . . .	. . * . .
25	— perpetuis et temporalibus actionibus . . .	
	. . * . .	. . * . .
	De accusationibus criminum et maleficiorum publicorum.	De publicis iudiciis.
30	. . * . .	. . * . .
	. . * . .	— bonis damnatorum.
	. . * . .	. . * . .
	Quando et quibus in causis, et a quibus appellare liceat.	. . * . .
35	Intra quod tempus omnis provocatio exerceri finirique debeat . .	Intra quod tempus omnis provocatio fieri debeat.
		De calumniatoribus.

II. INDEX ALPHABETICUS TITULORUM SIVE RUBRICARUM BRACHYLOGI EX EDITIONE NOSTRA.

III. INDEX GRAMMATICUS VOCUM ET FORMULARUM.

IV. INDEX EORUM QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

BEROLINI TYPIS FEISTERIANIS ET EISERSDORFIANIS.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Littera *n* numeris versus indicantibus adiecta commentariorum criticorum versus significat; per *i* locorum annotationis versus indicavi; *a* laevas, *b* dextras columnas designat.

Pag.	Vers.	
IX.	I.	a. v. *Corr.* a v.
XIV.	5.	pracedunt *Corr.* praecedunt
XXX.	2.	et at *Corr.* et ad
LXXIX.	7 n	haeca *Corr.* haecce
12.	6.	*Asteriscus de margine excidit.*
—	9.	— — — —
—	5 n	[*c*) Corr. [*e*)
14.	11 n	*praeter b.* matrimonio *Corr. praeter b.* [*z*) matrimonio
15.	3.	*Asteriscum ad marg. pone, et adde pag. 206. post vers. 7.: 15,3.* Nam licet legum contemtores, parentes tamen sunt. Auth. de incest. §. si vero, *b.*
26.	2.	*Asteriscus excidit.*
28.	4 n	[*f*) *Corr.* [*g*)
31.	1.	^{l}Religiosum *Corr.* [^{l}Religiosum
32.	10.	^{f}item *Corr.* [^{f}item
—	5 ib	rerum II. 8. *Corr.* rerum II. 1.
33.	9.	quae ^{h}ferae *Corr.* quae [^{h}ferae
35.	3.	*Numerum 1. ad dextram marg. pone.*
—	5.	*Numerum 5 ad interiorem marg. pone.*
—	8.	*Dele asteriscum.*
37.	5.	latens: per *Corr.* latens: ff per
46.	4.	succuritur *Corr.* succurritur
47.	9.	^{r}Et *Corr.* [^{r}Et
49.	4.	^{n}propter *Corr.* [^{n}propter
60.	2 n	[*b*) *Corr.* [*q*)
61.	5 n	[*e*) *Corr.* [*c*)
63.	1.	*Asteriscus excidit.*
65.	1 ia	*TIT. XXVI. Corr. TIT. XXIV.*
67.		*Numerus 15 in interiori marg. ad versum 14. positus est.*

BEROLINI TYPIS FEISTERIANIS ET EISERSDORFIANIS.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Littera *n* numeris versus indicantibus adiecta commentariorum criticorum versus significat; per *i* locorum annotationis versus indicavi; *a* laevas, *b* dextras columnas designat.

Pag.	Vers.	
IX.	I.	a. v. *Corr.* a v.
XIV.	5.	pracedunt *Corr.* praecedunt
XXX.	2.	et at *Corr.* et ad
LXXIX.	7 n	haeca *Corr.* haecce
12.	6.	*Asteriscus de margine excidit.*
—	9.	— — — —
—	5 n	[*c*) *Corr.* [*e*)
14.	11 n	*praeter b.* matrimonio *Corr. praeter b.* [*z*) matrimonio
15.	3.	*Asteriscum ad marg. pone, et adde pag.* 206. *post vers.* 7.: 15,3. Nam licet legum contemtores, parentes tamen sunt. Auth. de incest. §. si vero, *b.*
26.	2.	*Asteriscus excidit.*
28.	4 n	[*f*) *Corr.* [*g*)
31.	1.	*l*Religiosum *Corr.* [*l*Religiosum
32.	10.	*f*item *Corr.* [*f*item
—	5 i b	rerum II. 8. *Corr.* rerum II. 1.
33.	9.	quae *h*ferae *Corr.* quae [*h*ferae
35.	3.	*Numerum* I. *ad dextram marg. pone.*
—	5.	*Numerum* 5 *ad interiorem marg. pone.*
—	8.	*Dele asteriscum.*
37.	5.	latens: per *Corr.* latens:*ff* per
46.	4.	succuritur *Corr.* succurritur
47.	9.	*r*Et *Corr.* [*r*Et
49.	4.	*n*propter *Corr.* [*n*propter
60.	2 n	[*b*) *Corr.* [*q*)
61.	5 n	[*e*) *Corr.* [*c*)
63.	1.	*Asteriscus excidit.*
65.	1 i a	*TIT. XXVI. Corr. TIT. XXIV.*
67.		*Numerus* 15 *in interiori marg. ad versum* 14. *positus est.*

Pag.	Vers.	
67.		*Ad rubricam asteriscus in interiorem marg. ponendus est.*
—	3 a	[*h*) *Corr.* [*g*)
70.		IN VENTARII. *Corr.* INVENTARII.
71.	1.	si[e] *Corr.* si[e]
—	1 ib	*Sim liter* Corr. *Similiter*
75.	5.	patris[v], *Corr.* patris [[v],
77.	6 a	*ommittentes* Corr. *omittentes*
79.	3 a	solvendo *C.* Obligatio- *Corr.* solvendo *C.* [*f*) Obligatio-
—	4 a	snnt *Corr.* sunt
82.	5.	aut[e] *Corr.* aut[e]
89.	4 a	[*a*) *Corr.* [*b*)
95.	14.	[[i] Liberi *Corr.* [[r] Liberi
96.	8.	tum. *Corr.* tur.
102.	2.	voluntate[e]; *Corr.* voluntate[c];
109.	1 a	De obligationibus *Corr.* [*b*) De obligationibus
110.	17.	*Dele numerum* VIII. *in marg.*
119.	10 a	[*m*) vel *b. Corr.* [*l*) vel *b.*
125.	10.	[[g] In *Corr.* [[y] In
—	12.	persona[b] *Corr.* persona[c]
—	2 a	valentem. *Corr.* valentem *b.*
—	10 a	[*b*) si *Corr.* [*c*) si
131.	11.	clericus[n] *Corr.* clericus[nn].
—	12 a	[*n*) con[s] *Corr.* [*nn*) con[s]
136.	5.	Ianuariarum[t], *Corr.* Ianuariarum[f],
—	5 ia	lib.[f] VI. *Corr.* lib. I. cap. 158. lib. V. cap. 150. lib. VI.
139.	13.	lite[x] *Corr.* lite[y]
140.	10.	agitur[q], *Corr.* agitur[g],
146.	12.	*Asteriscus excidit.*
176.	11.	*Dele numerum* 1.
180.	9.	Sunt *Corr.* 1. Sunt
181.	4.	*Asteriscus excidit.*
198.	20.	*Post* 53, 1. *adde* (Cf. 57, 6.)
—	21.	*Corr.* 97, 13. 100, 6. 101, 3.14.
211.	12.	cyphi *Corr.* scyphi
282.	2.	civili *Corr.* civium

Pag.	Vers.	
67.		*Ad rubricam asteriscus in interiorem marg. ponendus est.*
—	3 a	[h) *Corr.* [g)
70.		IN VENTARII. *Corr.* INVENTARII.
71.	1.	si[e] *Corr.* si[f]
—	1 ib	*Sim liter* Corr. *Similiter*
75.	5.	patris[v], *Corr.* patris [v],
77.	6 a	*ommittentes* Corr. *omittentes*
79.	3 a	solvendo *C.* Obligatio- *Corr.* solvendo *C.* [f) Obligatio-
—	4 a	snnt *Corr.* sunt
82.	5.	aut[e] *Corr.* aut[e]
89.	4 a	[a) *Corr.* [b)
95.	14.	[i Liberi *Corr.* [t Liberi
96.	8.	tum. *Corr.* tur,
102.	2.	voluntate[e]; *Corr.* voluntate[c];
109.	1 a	De obligationibus *Corr.* [b) De obligationibus
110.	17.	*Dele numerum* VIII. *in marg.*
119.	10 a	[m) vel *b.* *Corr.* [l) vel *b.*
125.	10.	[g In *Corr.* [y In
—	12.	persona[b] *Corr.* persona[c]
—	2 a	valentem. *Corr.* valentem *b.*
—	10 a	[b) si *Corr.* [c) si
131.	11.	clericus[n] *Corr.* clericus[nn].
—	12 a	[n) con: *Corr.* [nn) con:
136.	5.	Ianuariarum[t], *Corr.* Ianuariarum[f],
—	5 a	lib./ VI. *Corr.* lib. I. cap. 158. lib. V. cap. 150. lib. VI.
139.	13.	lite[v] *Corr.* lite[y]
140.	10.	agitur[q], *Corr.* agitur[g],
146.	12.	*Asteriscus excidit.*
176.	11.	*Dele numerum* 1.
180.	9.	Sunt *Corr.* 1. Sunt
181.	4.	*Asteriscus excidit.*
198.	20.	*Post* 53, 1. *adde* (Cf. 57, 6.)
—	21.	*Corr.* 97, 13. 100, 6. 101, 3.14.
211.	12.	cyphi *Corr.* scyphi
282.	2.	civili *Corr.* civium



